Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacerdosriteinst0000padu

BÉZIERS
6, Rue du Bon Pasteur

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS.

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS

AUCTORE

P. ADULPHO PETIT, S. J.

TOTIUS OPERIS
EDITIO QUINTA ELIMATA.

SERIES QUINTA.

Hyppis Societatis Sancti Hugustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — 1908.

45217

Ego Josephus De Vos, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio Wernz, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, constans quinque voluminibus, a Patre Adulpho Petit, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, post plures jam factas editiones iterum ex integro typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 16 Novembris 1906.

Locus sigilli. Josephus De Vos, J. S.

Imprimatur.

Brugis, 10 Januarii 1907.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

PRÆFATIO.

CONSTAT hoc volumen tribus veluti partibus, quarum prima *exhibet* meditationes *et* considerationes *ad* viam *pertinentes* purgativam, *quæque a multis in primo volumine desiderabantur. Altera pars continet contemplationes nonnullas de mysteriis vitæ B. M. V. quæ in præcedentibus voluminibus locum habere non potuerunt. Tertia tandem pars considerandas proponit præcipuas* Parabolas *quibus doctrinam suam optimus Magister noster dignatus est illustrare.*

Hæc igitur Series quinta *in supplementum datur præcedentium, ut hac ratione* « Sacerdos » *noster, jam ubique fere terrarum, singulari Dei favore, notus, sufficere queat Sacerdoti, qui eo uti voluerit pro quotidianis vitæ suæ spiritualis exercitationibus. Qui vero assuevit sumere ex his libris pro materia* meditationis *non solum quæ in ipsis meditationibus et contemplationibus meditanda proponuntur, sed etiam quæ continentur in* considerationibus *et in* examinibus, *fateri debebit se præ manibus habere*

materiam prope infinitam. Ut autem in hac tanta rerum sylva, sine ullo fere labore congruum inveniat meditationis argumentum, mirifice se adjuvare poterit indice tum synoptico tum analytico *quem omni cura et diligentia conficere studuimus. Adjecimus* ordinem *quemdam meditationum, considerationum et examinum in commodum illorum qui solent singulis annis per integrum mensem, sive erga SS. Cor Jesu, sive erga B. M. V., sive erga sanctum Joseph, suam exhibere pietatem.*

Liceat mihi ingenue confiteri me ardentibus votis exspectasse momentum, quo palam possem testificari cordis mei sensa erga optimam et benignissimam Matrem, quam a teneris annis mihi misello fuisse ducem atque tutricem declaro. Si præter exspectationem sortem felicissimam nactus est meus « Sacerdos, » *id singulari Mariæ auxilio tribuere cogor. Si per tot jam annos mihi fuerit occasio vacandi cum certo fructu saluti animarum et, quod pro maxima gratia habeo, virorum Deo consecratorum sanctificationi totis viribus atque animis adlaborandi, id ingens fuisse Mariæ beneficium asserere gestio.*

Quare, o Maria, in testimonium amoris mei rga Te, et in animi grati significationem pro nnumeris tuis beneficiis, quibus non cessasti ie, licet indignissimum, cumulare, hunc libelum meum, quantulumcumque, et fructus aiarum, quos produxit jam et quos creditur roducturus, ex toto corde humillime Tibi dico tque addico. Utinam deinceps Te semper in re, semper in oculis, semper in animo deferre aleam, et omni quo potuerim modo Te lau-'are, Te glorificare, ut aliquando Tecum et um omnibus Sanctis inter cœlestia gaudia Dei nostri gloriam in æternum celebrare nerear. Amen.

Truncinii, 1898.

MEDITATIONES
DE VIA PURGATIVA.

RECOLLECTIO I.

MEDITATIO.

De peccato Angelorum.

1um Præl. Videat sacerdos visu imaginationis animam suam in corpore corruptibili, tamquam in ergastulo inclusam, seque in corpore et anima inter bruta animalia veluti exsulantem. *Comparatus est* enim peccator *jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* (Ps. XLVIII, 13.)

2um Præl. Petat a Deo *pudorem* et *confusionem* sui ipsius, cum videat quam multi fuerint damnati ob unicum peccatum mortale, et quam sæpe ipse meruerit damnari in æternum ob tam multa sua peccata.

Quare proponitur meditatio de *peccato mortali* etiam sacerdotibus et viris religiosis et apostolicis ?

1° Ut concipiant, nutriant, augeant in dies in se *salutarem* peccati horrorem, quandoquidem hic horror *fundamentum* est omnis *perfectionis* et *sanctitatis.*

2° Ut aptiores fiant ad inculcandum hunc horrorem peccatoribus ; nemo enim dat quod non habet.

3° Ut ex toto corde defleant peccata quæ unquam commiserunt. Meditatio autem de peccato, si rite fiat, non raro *suavissimos* excitat *motus amoris*, dum videmus a quo malo nos liberaverit Dominus Deus noster.

Ad abhorrendum peccatum sufficit vel semel intellexisse quam severe illud judicaverit et puniverit Deus. Deus enim falli non potest, nec nos potest decipere. Consideremus igitur *peccatum Angelorum.*

Historia peccati.

Angeli in cœlesti paradiso *probationem* suæ fidelitatis exhibere tenebantur, antequam *æterna* felicitate et gloria potirentur... Multi ex his facti sunt *improbi*, et a Deo e cœlo sunt dejecti;... ob unicum peccatum ad *æterna supplicia* condemnati sunt.

Tria hic consideranda se offerunt :

1° Status prior ;

2° Peccatum ;

3° Peccati punitio.

I. *Quales erant ante peccatum ?*

Splendebant incomparabili pulchritudine... Pleni erant *sapientia*... insignes donis naturæ et donis gratiæ... Ante thronum Dei in perfecta *amicitia* cum Deo erant, certiores facti se post brevem probationem in *vitam æternam* ingressuros.

Quam pulchri ! quam felices !

II. *Quomodo peccaverunt ?*

Lucifer cum suis asseclis, tantis donis et gratiis abutentes, peccaverunt ; propterea in ictu oculi de cœlo ad infernum sunt præcipitati. Obscuratus est omnis fulgor eorum ; omnis decor, pulchritudo eorum et sapientia conversa sunt in dedecus et turpitudinem. « *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer ?* » (Isai., XIV, 12.) *Scito, et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum !* (Jer., II, 19)

Et *quænam causa* tantæ ruinæ ?

Ecce, finis creationis eorum erat : *laudare, revereri Deum*, eique juxta ipsius beneplacitum *servire*, ut ita in *perpetuam gloriam intrarent*. Sed illi sublimes spiritus, præ fulgore suo ex-

cæcati, et immemores quod ex nihilo a Deo creati, omnia illa dona gratis acceperant, superbia sunt inflati. *Adscendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* (Isai., XIV, 14.) Hæc erat cogitatio eorum. Renuebant Deo servire, et potius volebant regnare libere a Deo. *Rebelles* igitur facti, contra Deum peccaverunt.

Est peccatum *superbiæ* — *unicum* dumtaxat peccatum — *primum* peccatum — *sola cogitatione* commissum.

III. Et tamen, o Deus, propter unicum hoc peccatum — nullo habito respectu ad eorum celsitudinem, ad pristinum decorem, ad magnam eorum multitudinem, ad obsequia quæ ab eis, si resipiscerent, poteras exspectare, ad blasphemias quibus, si damnarentur, in æternum indulgerent — in momento, tamquam fulgur de cœlo, in profundum abyssi eos præcipitasti ! O certe inde apparet mihi peccati *malitia* et *gravitas*, quod tu Deus, in te infinite bonus, qui caritate perpetua dilexisti nos, illud adeo detestaris, tam severe punis. Fecisti hoc, o mi Deus, in præ-

stantissima tua creatura; quid facies in me, vilissimo terræ vermiculo? Fecisti ob peccatum unicum, illudque cogitationis; quid facies ob mea innumera, omni genere et modo commissa? Quomodo non *erubescam, intime confundar*, si in comparationem *unius* peccati Angelorum tam *multa* et *gravia mea peccata posuero?*

Tremens factus sum, et timeo! Sed qui Angelos illico damnasti, hactenus pepercisti mihi, spemque salutis et locum pœnitentiæ reliquisti! O bonitas!

CONCLUSIO.

1° Animadverte, o sacerdos, unicum esse quod fini tam felici, ob quem creatus es, *directe adversari*, ejusque consecutionem *impedire* possit, *peccatum*. Quare cogita tibi nihil æque atque illud timendum esse aut pariter abominandum. Cætera omnia, sive animæ, sive corporis, sive fortunæ mala, promovere te possunt, si velis, ad finem tuum; istud unicum culpæ malum ab eo te avertit: maximo igitur constantique

odio illud persequere velut obicem tuæ beatitudinis et felicitatis.

2° Heu ! quanta *sanctitatis* divinæ puritas! Illam reverere. Quanta *justitiæ* severitas ! Adora et time. Quanta *lethalis culpæ* enormitas ! Exhorresce et treme. Sed et quanta in me divinæ misericordiæ benignitas, quæ toties peccantem hactenus sustinet ! Lauda et exalta, sed vide ne abutaris ; nam patientia læsa fit furor.

3° Si tu sacerdos aut religiosus peccasti, similem te fecisti diabolo. Angelus enim es vocatione ; inter Angelos versaris ; peccasti in cœlo, nam status sacerdotalis vel religiosus cœlum est in terris ; peccasti post tot beneficia, et peccasti cum scandalo ; cessasti frui felicitate Angelorum. Faxit Deus ut in posterum ad singulas tentationes ex toto corde tentatori respondeas cum sanctis martyribus : *Potius mori millies quam semel fœdari !*

CONSIDERATIO.

De horrore peccati.

Quare solent magistri vitæ spiritualis proponere in exercitiis sacri secessus meditationes de *peccato mortali*, etiam iis qui reputantur *sancti?* Quia *horror* peccati *basis* est et *fundamentum* omnis sanctitatis. Utile igitur erit sacerdoti attenta mente considerare *naturam* istius horroris.

Ille horror peccati non est simpliciter *indignatio* quædam seu *odium*, *confusio*, *dolor* de peccatis *præteritis*, sed est sensus *sancti timoris Dei*, quo fit ut nihil magis timeamus quam offendere Deum seu Deo displicere.

Ille autem sensus non consistit in *sensibili* quadam animi *motione*, sed in *apprehensione intellectus et* in firmo *voluntatis proposito*. Qui habet hunc sensum, quem dicimus *horrorem peccati*, *intelligit* peccatum, seu offensam Dei, esse *unicum*, *verum*, *summum* malum, et aliqua ratione, ut pulchre explicant S. Thomas et de Lugo, malum *infinitum*. Ast non solum id intelligit, sed *paratus est* alia omnia mala subire, etiam supplicia horrenda et mortem, quam vel semel scienter Deum suum offendere.

Et hoc quidem peccati odium aliquo modo evadere deberet in *horrorem* quasi *naturalem*, ita ut animus, ad solam possi-

bilitatem peccati, *statim horrescat* et refugiat tamquam a morte.

Hic autem *horror peccati*, ex peccati consideratione oriundus, adeo *necessarius* est, ut, si deficiat, nihil sperandum sit pro reliqua vita spirituali. Deficiente igitur illo sancto et implacabili odio peccati, deficiente illo sancto timore, deficit basis perfectionis, et tunc non mirum est quod etiam sacerdotes et religiosi, qui tamen tot sunt muniti præsidiis, semper maneant iidem, socordes scilicet, negligentes, incorrecti, iisdem defectibus inhærentes, iisdem peccatis scaturientes, vere miseri. Non progrediuntur, sed in dies fiunt pejores, negligentiores, tepidiores. Non magnum quid a talibus exspectandum pro gloria Dei et pro salute animarum.

Exemplum nobis sit ille vir, vere magnus, salvator populi Dei, Gedeon. Cum esset princeps sapientissimus, voluit aliquando probare indolem filii sui, an esset idoneus futurus ut præficeretur populo Dei, hac ratione: Captivos duos duces Madianitas, Zebee et Salmana, jam bello subactos et captivos, traxit ad judicium, præsente Jether, primogenito suo. Hi postquam examinati essent, et convicti et confessi ipsos Gedeonis fratres a se esse occisos, eos ad mortem condemnavit ob hanc tantam crudelitatem. Tum Gedeon, volens experiri animos filii sui Jether, dixit illi: *Surge, et interfice eos. Qui*

non eduxit gladium; timebat enim, quia adhuc puer erat. Gedeon, dum vidit filium suum non moveri contra juratos populi Israelis hostes, contra viros tam crudeles, judicavit illum non esse idoneum ad gubernandum aliquando populum Dei, sed degenerem esse et ignavum. Hanc unam ex causis fuisse existimo quare Gedeon repudiaverit hæreditarium regnum, quod illi Israelitæ, ob eximia fortitudinis prudentiæque edita specimina, obtulerunt : *Non dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus* (Jud., VIII.).

Idem evenit in rebus spiritualibus. Si Deus videat te, o sacerdos, tam ignavum ut non accipias *gladium mortificationis* contra hostes Dei et animæ tuæ, ac fratrum tuorum, contra illas feroces bestias, nec sis adeo magnanimus ut velis tibi et tuis concupiscentiis *vim inferre*, credibile non est Deum tibi daturum esse *spiritum principalem*, neque Eum adhibiturum te ad excelsum aliquod opus pro gloria sua faciendum. Dic igitur, o sacerdos, cum Davide : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.* (Ps. XVII, 38, 39).

Ergo, quotquot sumus servi Dei, efflagitemus a Spiritu sancto ut excitet in cordibus nostris hunc *sanctum timorem* Domini,

qui est *initium sapientiæ*. Simul adhibeamus media hunc peccati horrorem nutriendi et in dies augendi. In primis concipiamus propositum vitandi quodcumque peccatum deliberate committendum. *Initium bonorum*, ait S. Ambrosius, *est abstinentia peccatorum. Non enim potest virtus cum vitiis pariter crescere*, ait S. Bernardus ; *ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur.* Eodem sensu dicere solebat S. Franciscus Xaverius: *Quantacumque est decessio malorum, tanta est cœlestium accessio donorum.*

Ergo orando, meditando, pœnitentias congruas usurpando, voluntatis propositum frequenter renovando, *regnum peccati* exstirpemus in nobis. Eo magis quod turpe esset sacerdotes, Christi apostolos, adhuc subjectos esse peccatis deliberate commissis, cum in sæculo inveniantur homines, qui per plures annos ne vel unum quidem peccatum committunt, saltem lethale. Dicamus ergo sæpius : *O Domine, millies mori potius quam vel semel fœdari, etiam* minimo peccato deliberate commisso.

EXAMEN.

Circa modum agendi apostolice.

I. Agere *apostolice* est in omnibus se exhibere *virum*.

Reflecte, o sacerdos, an et quomodo te

hactenus virum præbueris. 1° Quam *solidæ* sunt virtutes tuæ? — 2° Quæ obedientia, quæ caritas et quis zelus tuus? — 3° An obedientia tempus et quasi certa quædam faventia signa exspectare debet, ut te obsequentem habeat? — 4° An ad quamvis difficultatem animum abjicis? — 5° An *statim* laborum satur es, ita ut nescias quid sit laborare usque ad defatigationem?

II. Agere *apostolice*, est zelare zelum animarum.

1° An cogitasti aliquando *quid sit esse apostolum?*

2° An cogitas apostolum eum esse cui integer mundus nimis angustus est? Qui ardet ut flamma, quam maria difficultatum, miseriarum, laborum non valeant exstinguere? Qui unicam salvare animam, immo unicum impedire peccatum, tantum esse operæ pretium putat, ut in hoc mille vitas et infinitos etiam labores bene impensos existimet?

3° An una est tua cogitatio, unum studium et unum desiderium, ut *peccatoribus prodesse possis?*

III. Agere *apostolice*, est *nullum* sui zeli fructu privare.

1° An *omnes personas* cum respectu ad Deum tractas, sine discrimine et acceptione? — 2° An intentio est pura, ita ut solus Deus sit principium et finis agendi? — 3° An

nihil laudis, mercedis vel utilitatis propriæ quæris in caritatis obsequiis? — 4° An *patientiam* habes in aliis, quam tecum vis a Deo haberi? — 5° An es indefessus, sine exceptione et excusatione, ubi de ope afflictis ferenda agitur? — 6° An zelas animarum salutem ac tuam propriam? — 7° An potes dicere: *Quid debui facere vineæ meæ et non feci?* — 8° An nulla ingratitudine, injuria, difficultate sinis te absterreri? — 9° An meministi te *patrem* esse, *doctorem*, *medicum*, et tam sapientibus quam insipientibus *debitorem?*

RECOLLECTIO II.

MEDITATIO.

De peccato sacerdotis.

1^um^ Præl. Audiamus Christum dicentem : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero, homo unanimis, dux meus, et notus meus.* (Ps. LIV, 13, 14.)

2^um^ Præl. Petamus gratiam intelligendi *gravitatem* et *malitiam* peccatorum commissorum a viris Deo consecratis.

1^um^ Punctum. — Peccati a sacerdote commissi gravitas.

Unanimi voce docent theologi peccata personarum Deo specialiter dicatarum, ut sunt sacerdotes et religiosi, cæteris paribus *longe graviora* esse peccatis laicorum.

I. *Ratione ipsius personæ.*

Et re quidem vera crescunt religiosorum et sacerdotum peccata : 1° Ex eo quod sunt specialiter Deo consecrati ; unde continent speciem quamdam *sa-*

crilegii. 2° Ex eo quod ad majorem sanctitatem vocati sunt et obligati; unde majorem habent inordinationem. 3° Ex eo quod habent leges speciales communibus superadditas; unde crescit aut geminatur malitia. Hinc concilium Tridentinum de clericis dicit: *Levissima etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant.* (Sess. XXII, c. 1 de reform.)

II. *Ratione corporis seu status.*

Corpori enim, cujus membra sunt, fidem datam fallunt et multipliciter nocent: 1° apud *fratres* et domesticos, nam plerumque alios exemplo corrumpunt, et ad peccandum vel sollicitant, vel animant; 2° apud *externos* infamant, qui delicti unius totum ordinem et statum sacerdotalem affinem reddunt et contemnunt, dicentes: *Ab uno disce omnes;* 3° apud *Deum*, avertendo a corpore gratias speciales, providentiam favorabilem et protectionem, et interdum accersendo pœnam omnibus communem, ut patet in exemplo Achan, hominis privati, qui Dei indignationem in totum exercitum concitavit. (Jos., VII.)

III. *Ratione ipsius peccati.*

Juxta doctrinam S. Thomæ, peccatum crescit intra eamdem speciem ex triplici capite : 1° *Ex majori contemptu;* 2° *ex majori ingratitudine ;* 3° *ex majori scandalo ;* quæ tria sine ullo dubio concurrunt in peccatis religiosorum et sacerdotum ; nam melius cognoscunt malitiam peccati, majora acceperunt a Deo beneficia et facilius scandalizant pusillos. Quid enim dicent et facient sæculares, si duces suos et magistros viderint peccantes ? Hinc Salvianus : In nobis Christus patitur, inquit, opprobrium, in nobis patitur lex christiana maledictum. (*De gub. Dei*, lib. V, in fine.)

IV. *Ratione conversionis difficilioris.*

Etenim in hujusmodi personis peccata non solum *graviora* sunt, sed etiam *plura* et *difficilius sanabilia.* Nam 1° in illis peccatum grave raro unicum est, maxime si transit in habitum : secum enim aut post se trahit multa *sacrilegia ;* 2° perfecta pœnitentia in ipsis difficilior et rarior : minime enim moventur iis de quibus frequenter et frigide tractant ; 3° hinc sæpe in

illis *assuetudinem* peccandi sequitur induratio cordis et mentis excæcatio. (Conf. Petitdidier, *Exerc. spirit.*)

II^um^ PUNCTUM. — **Peccati a sacerdote commissi effectus.**

Gravissimum est Christi monitum ad Petrum (Luc., XXII, 31) : Simon, Simon, attende tibi, nec fide nimis, etsi princeps sacerdotum sis ! Nam propter hoc ipsum, *ecce Satanas expetivit vos*, præ aliis, sciens peccata sacerdotum graviora esse quam aliorum : expetivit *ut cribraret*, *sicut triticum*, et tentationibus sic exagitaret, ut bonum semen, quales estis vos, aut *caderet secus viam* et contereretur ab hominibus, aut *inter spinas*, a quibus suffocaretur, aut *in petram*, ubi destitueretur humore. Ecce tristissimi tres *effectus* peccati sacerdotalis, quorum alter ex altero nascitur : peccatum facit sacerdotem *insensibilem*, *inutilem*, *contemptibilem*.

I. Sacerdos cadens in peccatum est similis *semini* cadenti in *petram*, ubi vix natum *arescit* ex defectu humoris, et, ut ita loquar, petrescit. Status *insensi-*

bilitatis est primus effectus peccati sacerdotalis, et *pœna* ordinaria *ingrati* Deo animi. In Angelis exemplum habemus. Peccavit et *homo* et *Angelus;* sed homini statim aperti sunt oculi : *pudor* vultum, *timor* animum subiit; egit *pœnitentiam !* Angelus vero continuo factus *inflexibilis*, infelici metamorphosi in diabolum versus est. Cur? Supra hominem multo a natura felicior, ab intellectu instructior, a gratia fortior, minus utique quam homo *miserationem* et *veniam* merebatur, tantæ beneficentiæ tam proterve ingratus. Negetur ergo humor gratiæ, quæ animum emolliret ad pœnitentiam! Indurescat in petram; *nec ros, nec pluvia veniant super vos, montes Gelboë, quia ibi abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo !* (II Reg., I, 21.)

O sacerdos peccator, nihil hujus maledictionis in te advertis? Angelus vocaris, et tamen peccasti!

II. Alter effectus, facere sacerdotem *inutilem* ad officium.

Semen optimum *inter spinas*, quid proficit? Suffocatur; et sacerdos, quid-

sine discrimine lacerentur, et quodlibet peccatum nostrum ista circumstantia aggravet, quam Nathan exprobravit Davidi, dicens: *Blasphemare fecisti inimicos Domini.* (II Reg., XII, 14.)

Ecce similes sunt sacerdotes peccantes *torrentibus*, qui ex alveo egressi, obvia quæque corripiunt et abripiunt. Similes quoque sunt *fructibus*, quibus, si boni sunt, nihil est excellentius; si mali, nihil corruptius. Sacerdotes *rupes* sunt, quæ semel a culmine avulsæ, grandi impetu corruunt, et corruendo seipsas in præcipitio comminuunt, ita ut nec earum sisti valeat casus, nec ipsæ in pristinum statum attolli a casu. Ruina, quæ *de alto* est, semper *magna* est!

O anima mea, ingredere te, et si *ream* te nosti peccati gravis, in sacerdotio commissi, *ad pœnitentiam* condemna te, ne condemneris *ad pœnam*, ne, cum aliis prædicaveris, ipsa inter reprobos abjiciaris. Deus, propitius esto peccatori sacerdoti! Deus, offensus es, et ab eo offensus es, qui ne offendereris ab aliis, impedire, et cum offensus esses,

vindicare debebat! Atrox est facinus! sed, qui Petrum respexisti, *mihi quoque* spem *dedisti!* Eris propitius dolenti dolore maximo, et contrito corde deprecanti. Respice me ut Petrum, et dona mihi *donum doloris amari.* O felix Petri culpa, quæ quoties cantavit gallus, toties novis lacrymis defleta fuit! O Jesu, miserere mei! O Maria, refugium peccatorum, ora pro me!

CONSIDERATIO.

De neglectu orationis.

Merito quis dixit *animum* tamquam *rore suo* aut *cœlesti imbre* destitutum, non posse non arescere et abire in vagum pulverem, omni vento sæcularis afflatus varie dispellendum. Et sane qui *agro* quantumvis natura sua fertili, imbrem roremque fecundantem subtraxerit, ille simul speratos fructus in semine, tamquam falce demetit. Idem, o sacerdos, dicendum de animo. Etenim sortitus aliquis mentem bonam est, et promittebat Dominicis horreis messem amplam; verum negatus cœlestis ros et fecundans pluvia subtracta, omnes illas locupletes sponsiones vertunt in arenam. Cœlestes illæ pluviæ, mentem undique irrigantes et quadam pinguedine sua fecun

dantes, *gratiæ sunt cœlo repositæ*, quas ex opulenta nube sua depluere Dominus consuevit in *animum orationi* ac pietati deditum. Crede, o sacerdos, nubem illam divinam non pluere, nisi ante mentium nostrarum vapor ad cœlum ascenderit. Hinc Propheta regius : *Meditatus sum in omnibus operibus tuis ; in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te ; anima mea sicut terra sine aqua tibi.* (Ps. CXLII, 5, 6)

Ut autem intelligas, o sacerdos, quantum patiaris damnum, *si neglexeris orationem*, vide quanta res sit *oratio fervens*. Liceat id variis comparationibus explicare.

1° Ut *corpus*, cibo potuque spoliatum, diu vitam tolerare non potest, ita et mens nostra, *orationis* cibo frustrata, quo uno nutriri, foveri, roborari solet, brevi exuitur omni vita spirituali.

2° Quod *anima corpori*, id oratio est animæ. Illam qui sustulit, vita simul exuit ; hanc qui subtraxerit, meliore vita spoliabit ; et cum omnis animi vigor et vita a cœlestibus donis et divinis inspirationibus pendeat, qui per orationis neglectum his destituitur, similis fit *mortuo*. Hinc illud ex lib. I *De orando Deo*, inter Opera S. Chrysostomi : *Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens expersque sanæ mentis ; nam hoc ip-*

sum evidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum quod animæ mors sit non provolvi ad Dei genua. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est ac fœtidum; sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, et graviter olens.

Exempla nos docent illorum qui, deserta Religione, ab oratione fere neglecta *initia ruinæ* duxerunt; neque quisquam ad crimina descendit, aut in eis invaluit, qui non ante in orationis studio intepuit.

3° Quod *cor viventi*, hoc oratio est animæ. Illud sustuleris, vitam ademeris; orationem tolle, et animæ vitam excusseris quam ab oratione habet. Qua spoliata, tamquam in ignavo torpore prostrata ac consepulta jacet.

4° Quod *gemma annulo*, hoc oratio animæ. Annuli decor gemma; animæ gloria oratio, a qua splendorem lucemque accipit gratam cœlestium oculis, adeoque et Dei.

5° Quod est *flos* horto, pomario *poma*, *botrus* vineæ, nemori *laurus*, pascuo *flumen*, vallibus *torrentes*, *fontes* montibus, hoc animæ oratio.

6° Quod lasso *requies*, mœrenti *gaudium*, inopi *aurum*, fatiscenti *robur*, *nervi* corpori, *spiritus sanguisque* vitæ; hoc animæ oratio est. O sane oratio secura pace mentem fir-

mat, ingenti lætitia perfundit, cœlorum opibus donat, vires suggerit, divinoque quodam spiritu animat jacentem ac torpentem, et nobiliore quodam cœlestium donorum sanguine pectoris mentisque venas implet.

7° Quod *sol* diei, *luna* noctibus, navigantibus *stellæ*, hoc oratio est animæ. Solis enim ad instar, diem animæ, pulsa criminum nocte, statuit, cœleste lumen præfert, divini amoris radiis calefacit, et gratiarum fecundo influxu inopem mentem omnique ope destitutam locupletat; scelerum vero tenebris oppressis, ut nova luna, rectam viam aperit et ostendit; tentationum denique fluctibus jactatis inter scopulos, tuta littora gratissima stella designat.

8° Quod *secures* prævalidis secandis lignis, quod *mallei ignesque* ferro domando, hoc est oratio secandis duris veteribusque peccatorum nodis.

9° Quod *speculum* faciei, hoc oratio est animæ. Illud maculas detegit, oratio animæ nævos, ut nihil reconditæ deformitatis latere diu possit orationis speculo proposito; intima enim pervadit, et, si quid tortuosum, si quid degenerat aut aberrat a fine cui creatum, id aperit, et tamquam e latebris eruit, ac in apertam lucem deducit.

10° Quod *musica* homini, hoc oratio Deo; neque enim ullus illi concentus gratior ora- . simplici mente et corde prolata.

11° Quod *cella vinaria* sitienti, quod *vinea* odorato flore gravida, quod arboribus floribusque *consitus hortus ;* hoc oratio est animæ.

12° Quod hominibus *cellæ aromatum*, hoc oratio est animæ. Hinc illa currebat in *odorem unguentorum* dilecti sui, non aliis quam *orationis* passibus ; et non aliis quam *orationum* sponsæ suæ odoramentis excitus, sponsus columbam suam, speciosam suam amplectitur.

13° Quod *gladius anceps bis acutus*, bis hostem feriens, hoc oratio animæ. In quamcumque enim partem se verterit adversarius, *paratum* reperiet animum orationi deditum. Quodque *instructissimus exercitus* in inimicam aciem ; hoc oratio est animæ. Nam oratione cœlorum Angelorumque legiones ipseque cœlestium legionum Dux, Deus, evocatur.

14° Quod nobilissima *medicamenta* morbis sanandis, hoc oratio est animæ ; neque potentior ulla medicatio, nullaque certior curatio quam quæ ab oratione venit. Docent hoc omnium ætatum exempla.

15° Tandem quod *corona* splendidissima, gemmarum multitudine variegata, capiti Regis, hoc oratio est animæ. Nullæ enim cœlo gemmæ lucidiores oratione, qua decorat sponsum suum sponsa.

EXAMEN.

Circa remedia adversus orationis neglectum.

1° Remedium est frequens lectio librorum piorum, eorumque maxime qui de *neglectæ orationis damnis*, quique de *fructu, emolumentis* et orationis *necessitate* loquuntur. An mihi familiare est hoc remedium?

2° Remedium est frequenter in concionibus populum erudire de excellentia et de praxi orationis; ut enim quis hanc materiam convenienter tractare possit, necesse est ut eam meditetur ipse et pios libros hac de re agentes consulat. An id facere soleo?

3° Remedium est sibi proponere vel unam precem, quantumvis brevem, *quotidie devote* et *attente* recitare. Scintilla erit hæc precatiuncula, quæ paulatim accendet et alias preces. An utor hoc remedio?

4° Remedium est singulis mensibus cum cura et magna diligentia instituere *recollectionem* menstruam, in eaque speciatim attendere ad *modum* quo per mensem præcedentem perfunctus quis sit orationis exercitio. An non facilius omitto et negligo hoc pretiosum *pietatis* et *sanctitatis* subsidium?

5° Remedium est *annuus* exercitiorum spiritualium usus, et frequentior etiam, si qua necessitas postulaverit, aut major quidam tepor sacerdotem occupaverit, qui annuo exercitiorum igne non videatur posse

expelli. An saltem *singulis annis* ad Exercitia sacri secessus peragenda bene dispositus accedere soleo?

6° Egregium et quam maxime efficax est remedium, frequens seriaque cogitatio innumerabilium prope bonorum quæ ex unica oratione tamquam a divite vena promanare solent.

An vel semel serio cogitavi *oratione*, quidquid in humanis intercesserit adversitatis, deleri? Oratione hominem superiorem reddi omnibus tormentis et cruciatibus? Oratione hominem fieri sæculi contemptorem? Oratione intellectum radiis et luce illustrari? Oratione animam cœlesti amore inebriari? Oratione cor Justi ineffabili repleri gaudio et mira consolatione? Oratione servum Dei ab omni vitiorum putredine intactum servari? Oratione directrice omnes parari virtutes, exstirpari vitia? Oratione nos jungi Deo, disjungi sæculo? Oratione nos consequi scelerum veniam, et extensam in vindictam manum Judicis flecti?

RECOLLECTIO III.

MEDITATIO.

De sacerdote in ultimo Judicio.

1^um^ Præl. Audiamus Jesum discipulos, de potestate adversus diabolos sibi concessa gloriantes, comprimentem, dum dicit : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem;* indicans *judicium durissimum his, qui præsunt, fore.*

2^um^ Præl. Dicamus Deo : *Domine, confige timore tuo carnes meas ; ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Consideravimus jam alias judicium quod quisque subibit sacerdos post mortem ; hic considerandum proponimus *judicium ultimum* de quo solebat discipulos suos bonus Magister admonere. Solemniter judicabuntur sacerdos *negligens* et sacerdos *fidelis*, sed quanto discrimine !

I^um^ PUNCTUM. — **Sacerdos malus.**

Profecto de *sacerdote peccatore* dictum putamus quod legitur apud Mat-

thæum (XXIV): *Veniet Dominus servi illius... et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Veniet* Dominus servi illius, qui utpote sacerdos constitutus erat ut familiæ sibi commissæ invigilaret. Veniet in morte primum, deinde in *die Judicii, et dividet eum*, separans a turba sacerdotum fidelium ; *partemque ejus ponet cum hypocritis*, inter *illos* relegaturus sacerdotem malum, qui ipsi nisi *ad speciem* servierunt, præter vestem et coronam clericalem boni habentes nihil. Pendamus quid in illa die, vere tremenda, passurus sit ille sacerdos miser. Quid *videbit ?* Quid *audiet ?* Quid *dicet ?*

I. *Quid videbit ?*

1° Videbit *gravitatem peccati*, a) in *cineribus mundi* propter peccatum concremati ; b) in *fœditate corporis sui*, in titionem infernalem per peccatum transformati ; c) in *societate* impiorum infamium quibus peccati causa immixtus erit, omni privilegio canonis ac fori exutus, et potestati dæmonum traditus.

2° Videbit *vanitatem* omnium rerum quarum amore deceptus, reliquit Do-

minum Deum suum, Creatorem et Patrem, flocci faciens verbum Sapientis : *Vanitas vanitatum* et omnia *vanitas !*

3° Videbit Deum esse *iratum*, dum conspiciet horribilia signa in sole, luna et stellis, terrificum apparatum et majestatem Christi descendentis de cœlo, et gladium bis acutum, per unam sententiam corpus atque animam simul transverberaturum.

4° Videbit Deum esse *amabilem :* hoc testabitur conspectus *crucis* splendidissimæ ; hoc monstrabit comitatus *Deiparæ* et *sanctorum ;* hoc ostendet beata sors familiarium suorum, forsan complicum quibuscum peccavit, sed quibuscum pœnitentiam non egit ; forsan etiam animarum ad quarum conversionem laboravit infelix, semetipso neglecto. Hæc cum videbit, in quos, quæso, affectus cor ipsius discerpetur ! *Videbit peccator* et tabescet !

II. *Quid audiet ?*

Audiet *accusationes ;* Judex enim *vocabit adversum te tempus* (Thren., 1) subtractum officio et nugis immolatum;

vocabit *loca* sacra, quæ profanasti, loca profana, in quibus profanatus es tu, o sacerdos! Vocabit *personas*, quarum curam susceperas; vocabit *sanctos*, quorum exempla neglexisti; vocabit *reprobos*, qui essent inter sanctos, si sanctus tu fuisses; vocabit *vestales virgines* et *sacerdotes gentilium*, pro officii honore et cura tam præ te anxios, tam sedulos; vocabit *dæmones*, quorum zelus in animarum perniciem semper ardens tuum frigus damnabit; vocabit *angelos*, quorum clientes per tuam incuriam perierunt. Ad hos clamores quis erit animus tibi? Quæ trepidatio? Quæ angustiæ? Et talia cum videbis ac audies, *quid dices*, o sacerdos?

III. Dices sero tibi, quod toties aliis dixeras. In via, per quam a loco sepulturæ in vallem Josaphat transfereris, contemplans mundi pompam omnem collapsam in cineres, *dices: Hæccine est illa Jezabel* quæ tot homines mecum suo stibio, sua cerussa, suis lenociniis in vetitos vanitatum amores pertraxit? Corpus intuens male olidum, fœdum, ab igne inferni fumans, eheu! *dices:*

Quis me liberabit a corpore mortis hujus, cui tamquam carceri alligabor in pœnam nimiæ libertatis? Impiorum societati immixtus, et velut in unam fascem cum similiter reis colligatus, *dices: Si sic futurum erat mihi, quid necesse fuit concipere* propositum sacerdotii, consecrari, præfici? Bonum erat mihi, si natus non fuissem! In *aspectu amabilis Dei, dices:* vah! *Quid potuit facere pro me Deus, et non fecit?* Quærens me sedisti lassus; redemisti crucem passus: tantus labor fuit cassus! In *aspectu terribilis Dei, dices: Cadite, montes, super me,* et *colles, operite me ab ira Agni.* Talia *dices,* cum talia *videbis.* Sed cum *audies* accusatores, quos dixi, contra te, quando conscientia tua, immo et sanguis Judicis clamabunt adversum te, tunc *quid dices?* Flebis, ingemisces, ejulabis, fremes, tabesces, irrugies rugitu horribili; sed *quid dices?* Non negabis? Non excusabis? Non deprecaberis saltem? Immo omnis facundia, qua *nunc* polleo, *ad excusandas excusationes in peccatis, tunc* deseret me, Domine, nec respondebo *unum pro mille.*

Attonitum et præ horrore *mutum* feriet atrox sententia, ferali strepitu aures cruciatura *æternum*. O Jesu, *transeat a me calix iste*, calix nempe furoris tui, quem usque ad fæces inter mille maledictiones in infelices peccatores effundes! Nunc age quod lubet: ure, seca, crucia! Sed *cum veneris judicare*, ex agno mutatus in leonem, *noli me condemnare*. (Cf. Neumayr, *De Gratia vocationis*.)

IIum Punctum. — **Sacerdos bonus.**

Si *sacerdoti malo* plenum erit Judicium terrore et horrore, *sacerdoti fideli* plenum erit consolatione et jucunditate.

I. *Quid videbit?*

1° Videbit utique *pompam mundi* in cineres collapsam, sed simul recordabitur quod dixerat Sapiens: Vanitas *vanitatum*, et quod dixerat Jesus: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur?* et *gaudebit* vehementer quod his vanitatibus mundi valedixerit, dum vivebat, et quæsiverit cœlestia et æterna.

2° Videbit *corpus suum* singulari ful-

gore splendens et comparatum ad gaudia cœli gustanda per totam æternitatem, et *gaudebit* in memoriam revocans labores, pœnitentias voluntarias et cruciatus, quibus, dum vivebat, corporis compescebat concupiscentias.

3° Videbit *societatem angelorum et beatorum* ad dextram partem Throni judicialis collocatorum, in quorum consortium se a misericordissimo Deo admissum ingenti gaudio exsultabit.

4° Videbit *crucem Jesu*, immensa circumdatam gloria, ab angelis de cœlo ad locum Judicii summa cum reverentia delatam, et ineffabili lætitia implebitur, recogitans quantopere æstimaverit, quam ardenter amaverit venerabile hoc redemptionis nostræ instrumentum.

5° Videbit *Virginem Dei Matrem*, amictam sole, et in capite gestantem coronam stellarum duodecim, plaudentibus sanctis, frementibus diabolis; et deliciis se affluere sentiet, memorans quanta pietate in terris hanc amabilissimam Matrem dilexerit, et quanto zelo ejus jucundissimum cultum pro viribus propagaverit.

6° Videbit *Jesum* advenientem cum magna majestate, admirabili fulgore splendentibus ipsius sacris vulneribus, et experietur hoc momento quam felix sit, quod tanto Regi ex toto corde adhæserit ejusque nomen sanctissimum hominibus prædicaverit.

7° Videbit in cœtu Sanctorum non *paucos* peccatores quos convertit, non paucas animas quas sanctificavit, et concipiet ingentem animi voluptatem, dum intelliget illas animas, in æternum felices, sine ipsius labore et sudore in æternum perituras fuisse.

II. *Quid audiet ?*

1° Audiet Angelos, suaviter ipsum invitantes ad standum cum Electis ad dexteram partem tribunalis.

2° Audiet *Electos*, se invicem de felici sorte cum summa lætitia congratulantes.

3° Audiet lætabundos Justorum clamores, quibus advenientem excipient suum Judicem gloriosissimum.

4° Audiet ipsum Judicem coram universo hominum cœtu angelorumque multitudine ipsius opera bona summis

laudibus exaltantem. O quanta tunc animus tuus implebitur jucunditate, o bone Sacerdos, dum audies JESUM vel minima tua sacrificia magnificantem. Dicet enim JESUS : *Esurivi, et dedisti mihi manducare ; sitivi, et dedisti mihi bibere ; hospes eram, et collegisti me ; nudus, et cooperuisti me ; infirmus, et visitasti me ; in carcere eram, et venisti ad me.* (Matth., XXV, 35.)

Dices : Domine, quando te vidi esurientem et pavi te, sitientem et dedi tibi potum ? Quando te vidi hospitem et collegi te, aut nudum et cooperui te ? Aut quando te vidi infirmum aut in carcere, et veni ad te ? Et audies regem tuum amantissimum respondentem : *Amen dico tibi, quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti.* (Matth., XXV, 37.)

Audies tandem cum ineffabili consolatione supremam Judicis sententiam : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi ! Intrate in gaudium Domini vestri.*

III^um^ PUNCTUM. — **Conclusio practica.**

1° « Utilius et multo salubrius est *hodie audire Deum* consulentem, consolantem, admonentem, docentem, et, ut multum, arguentem, increpantem, corripientem, quam *in illa die* [Judicii] tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa *audire illum* judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. » (S. Bern., sermo de verbis Habacuc.)

2° Ultimum Judicium erit horribile ex omni parte, quia *supra* erit Judex austerus et iratus, *subtus* patens infernus, *intus* conscientia remordens, *extra* mundus ardens, *a dextris* peccata accusantia, *a sinistris* dæmonia terrentia. » (S. Bonav., Compendium theol., lib. VII, c. XVII.)

3° « O anima! nunquam exeat a tua memoria, *Ite, maledicti, in ignem æternum; Venite, benedicti, percipite regnum.* O quid potest lamentabilius et terribilius cogitari quam *Ite ?* et quid delectabilius exprimi quam *Venite ?* Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius

una, et nihil jucundius altera potest audiri. » (S. Bonav., *Soliloq.*, c. III.)

4° Cum exis dormitum, a judicio conscientiæ tuæ rationem exige ; hoc fac singulis diebus. Si per singulos hoc facies dies, cum fiducia stabis ante tremendum illud tribunal. (S. Chrysost. in Psalm. IV.)

CONSIDERATIO.

De metu mortis.

Tria præcipue faciunt mortem formidabilem : amissio rerum omnium hujus vitæ, quas tantopere diligimus ; ignota regio vitæ alterius, in quam deducemur ; et judicis severitas, coram quo comparebimus. — Ad hunc triplicem metum pellendum quatuor remedia adhibenda propono.

Primum remedium.

Consideremus attente quo fine in hunc mundum a Deo producti simus, ut in hoc vitæ cursu intentio nostra a voluntate Dei creatoris nostri non discrepet ; indignum quippe esset, si res quæpiam ab artifice in usum aliquem facta, huic usui mentique artificis conformem se reddere nollet. Formavit nos sane Deus, ut ex hac vita aliquando migremus. Jussit veluti peregrinos

alio proficisci, et quæcumque mundus habet, *pro viatico* nobis dedit, ne quid corporis vel animæ commoditati ad hoc iter conficiendum desit. Firmiter igitur nobis persuasum sit, hanc terram non esse *civitatem permanentem*, sed a cunis ad tumulum transitum; transitum ab exsilio ad patriam. Ergo quæcumque in itinere obvia sunt, tametsi jucunda lætaque, clausis quasi et aversis oculis prætergrediamur, atque visa eminus civitate, ad quam tendimus, Deo gratias agamus; neque doleamus, aut perhorrescamus propinquante morte: sed potius gaudeamus nos ad metam propositam pervenisse. Et sicut is, qui rapidissimum torrentem transmittit, non in aquam ipsam, ne vertigine concidat, figit oculos, sed in ripam objectam immobilem, sic oculi mentis nostræ in cœlo perpetuo sint defixi, mundusque iste nec appetatur, nec aspiciatur.

Secundum remedium.

Ne gravis sit a parentibus bonisque omnibus hujus mundi æterna per mortem separatio, curemus ut dum vivimus, paulatim ab his rebus animum abducamus. Nonnulli, secuti consilia Christi, deserunt mundum, *omniaque detrimentum et stercora arbitrantur* pro rebus cœlestibus, et Christo, voluntaria paupertate, castitate et obedientia assumpta, spretis divitiis, contemptis

voluptatibus, voluntateque et judicio proprio deposito, alacriter deserviunt. Alii, qui huc perfectionis non evadunt, *sic mundo utuntur, tamquam eo non utentes.* Quod ut commodius fiat, 1° Consideremus rerum istius vitæ *conditiones* et *proprietates ;* nam ex se tales sunt ut verum gaudium animæ non adferant, neque humanam mentem satient. 2° Perpendamus *brevitatem* vitæ humanæ: transit enim vita *tamquam umbra.* Ergo cor nostrum non rebus illis affigamus, quæ cras forte tollentur, in æternum non redituræ. Sine ullo dubio utile nobis erit mortuorum ossa intueri eorumque nuditatem, horrorem, fœtorem et contemptum animo complecti ; et quid discriminis sit inter servum et dominum, adeoque quis servus fuerit vel dominus judicare, et quod tu, o sacerdos, futurus sis brevi, quod illi, quorum sunt ossa, quandoquidem illi ante paucos annos tui similes fuerunt et floruerunt. Juverit etiam frequenter ex occurrentibus rebus imaginem mortis ob oculos ponere aut de morte cogitationem suscipere, verbi gratia, ex *flore* suaviter olente et paulo post *marcido ;* ex *ariditate hiemis* quæ nobis repræsentat omnium rerum *interitum ;* ex *infirmitate*, quæ florentem et robustum quemlibet dejicit ; ex aspectu aliorum, quorum similes nobis multi aliquando exstiterunt et *oblivione sempiterna* deleti sunt. Et

sane vix quidquam est in tota rerum universitate, unde non possimus salutarem aliquam ad animi statum bene constituendum, meditationem formare. Ad idem valebit præteritorum annorum curriculum in mentem revocare, eorumque velocitatem cum tempore futuro, licet incerto, conferre ; siquidem quod *reliquæ vitæ* superest, eadem celeritate percurretur.

Tertium remedium.

Si mortem non metuere, sed *desiderare* cupis, fac, o sacerdos, tibi gravis molestusque sit mundus, seu potius ut ejus mala incommodaque aliqua ratione sentias. Qui enim molestiam patiuntur, desiderant liberari. Sancti viri moleste ferebant hunc mundum. Unde David : *Heu mihi*, inquit, *quia incolatus meus prolongatus est* (Ps. CXIX, 5) ; et sanctus Paulus, cui mundana omnia sordebant ut stercora : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom., VII, 24), et S. Ignatius de Loyola : *Quam sordet mihi tellus dum cœlum suspicio.*

Et quidem si percurramus singulas humanæ vitæ ætates, *plures* inveniemus *miserias* quam commoditates ; cum etiam commoda ipsa plena sint miseriarum. Videtur enim homo similis illi, qui aliquo proficiscens, nulla itineris commoditate utitur, sed variis difficultatibus præpeditur, tum quia

via lutosa et pluvia gravis, tum postea montosa, saxosa, deinde præceps, tum rursus silvestris et latrociniis infesta. In quo sane itinere unicum est *solatium, brevitas viæ*, si modo certa sequatur quies. Qui igitur ad beatissimam illam optatissimamque quietem proficiscitur, capiatur tædio malorum hujus vitæ, ad Patriæ cœlestis gloriam aspiret, sese curis et vinculis hujus mundi exsolvat. Deus enim tot mala voluptatibus nostris commiscuit, ut pertæsi malorum, vitæque mortalis, pura illa impermixta bona cœlestia toto corde consectemur. Patienter igitur hæc mala, quæ permittit Dominus, sustineamus ! Audiatur Scriptura quæ, dum de justorum morte, qui laboribus multis æternam gloriam pepererunt, commemorat, labores ipsos, a quibus in æternum suavissime vacabunt, recenset: *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super eos sol, neque ullus æstus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (Apoc., VII et XXII.) Sic, contra qui in labore hominum esse noluerunt in hac vita mortali, in laboribus erunt dæmonum in morte immortali.

Quartum remedium.

Cum sola nudaque et inermis egrediatur anima inter sævissimorum hostium cohortes, danda est opera ut, cum non liceat ex

hoc mundo nobiscum comites adducere, saltem illic statim a morte socios amicosque inveniamus qui solitudinis illius tædium sublevent, tutosque per hostium agmina ducant. Hi erunt 1° Sancti cum Christo regnantes, cœlestis aulæ principes, et præter cæteros Angelus noster tutelaris. Cum his si viventes ineamus familiaritatem, eos quotidie invocantes, si in his patronos nobis certos deligamus, quos veneremur singulari cultu, habebimus eos procul dubio in hora mortis faventes. 2° Animæ parentum, aliorumque fidelium defunctorum, quos orationibus, sacrificiis, eleemosynis ex Purgatorii pœnis eduximus. 3° Pauperes et corporalium spiritualiumque bonorum indigentes, quibus ad pietatem et vitam sanctiorem æternamque salutem quocumque modo auxilium tulimus. Hi omnes, conspecto de cœlis periculo nostro, occurrent obvii suppetias laturi. Et tu, o Maria, Mater benignissima, si te ex toto corde, dum vivo, amaverim, laudaverim, prædicaverim, nonne morienti mihi occurres tuo potentissimo auxilio, me liberans omni angustia, omni periculo, omni timore? *In lapsum dormiam et requiescam*, quoniam tu, o Domina, singulariter in spe constituisti servum tuum.

—:;—

EXAMEN.

Circa modum agendi juxta naturam.

Non sine egregio fructu examinabit se sacerdos juxta aureum caput LIV, lib. III de Imitatione Christi.

« Fili, diligenter adverte motus naturæ et gratiæ, quia valde contrarie et subtiliter moventur ; et vix nisi a spirituali et intime illuminato homine discernuntur. Omnes quidem bonum appetunt, et aliquid boni in suis dictis vel factis prætendunt; ideo sub specie boni multi falluntur. »

Vide igitur

1° An non *suadente natura*, in omnibus *te* semper *pro fine* habeas.

2° An non tibi repugnet *sponte* aliis subjugari.

3° An non semper *pro tuo commodo* labores, unice attendens *quid lucri* ex alio tibi proveniat.

4° Nonne forsan aliquid omittis opus zeli vel caritatis, eo quod ex hoc opere nulla spes sit te aliquid humanæ mercedis relaturum ?

5° Nonne *avidius* honores et reverentiæ testimonia accipis ?

6° Nonne plus æquo contemptum times et confusionem ?

7° Nonne nimis *otium* amas et *quietem corporalem ?*

8° An non quæris *curiosa et pulchra,* abhorrens *vilia* vel *minus pretiosa ?*

9° Nonne respicis temporalia, gaudes de lucris terrenis, tristaris de damno, irritaris levi injuriæ verbo ?

10° Nonne cupidum te probas, libentius accipiens quam donans, et amans *propria et privata ?*

11° Nonne negas quidvis facere *gratis,* exigendo pro omni beneficio quod confers, vel æquale, vel melius, aut laudem et favorem ?

12° Nonne concupiscis ponderari multum tua gesta et dona ?

13° Nonne videris gaudere nimium de amicis multis et propinquis, glorians de nobili loco et ortu generis ; arridens potentioribus, blandiens divitibus, applaudens tibi similibus ?

14° An non citius conquereris de defectu et molestia ?

15° An non omnia *ad te* reflectis, *pro te* certas, *pro te* arguis ?

16° An non nimium appetis scire secreta, audire nova ?

17° An non gestis exterius apparere, agnosci et agere unde laus et admiratio procedat ?

« *Quanto igitur Natura amplius premitur et vincitur, tanto major Gratia infunditur ; et quotidie novis visitationibus interior homo secundum imaginem Dei reformatur.* »

« Cogitet unusquisque, ait S. Ignatius, tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus quantum ab amore sui ipsius et commodi proprii affectione sese abstraxerit. »

RECOLLECTIO IV.

MEDITATIO.

De Inferno sacerdotis.

1. Præl. Visu imaginationis intueamur longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni.

2. Præl. Humiliter Deum rogemus *intimum sensum* pœnæ quam patiuntur damnati, ut si quando amoris Dei fuerimus obliti, saltem supplicii timor nos a peccatis coerceat.

1° *Quare* filiis Dei, sacerdotibus scilicet et religiosis, de re tam tristi, tam injucunda, nempe de inferno, proponitur meditatio? Quia ipse Dominus Jesus de Inferno frequenter loquebatur in cœtu Apostolorum, ut legere est in Evangelio; quia omnes sancti Evangelii præcones frequenter habuerunt de inferno sermonem; quia sancta Theresia sacerdotes et religiosos viros continue exhortabatur ut conciones frequenter apud omnes instituerent, omni qua possent eloquentia atque vehementia, de suppliciis damnatorum; quia, dum

vivebat, Pius IX, sanctæ memoriæ, exhortari solebat concionatores quadragesimales ad loquendum sæpissime et cum omni vi de inferno.

Et re quidem vera, sunt in vita nostra, etiam sacerdotali et religiosa, quædam circumstantiæ adeo delicatæ ut, nonnisi timor inferni in via bona nos retinere valeat. Quot sunt qui nunc in inferno cruciantur, quia nunquam de inferno *serio* meditati sunt ! Et quot sunt qui nunc in cœlo jucundantur, et qui nunquam ad cœlum pervenissent, nisi attentam de inferno meditationem instituissent ! Ergo per horæ unius spatium *mente* simus in inferno, ut nunquam ibi simus et *anima* et *corpore* per æternitatem.

2° *Quomodo* meditandum est de inferno ?

Simpliciter, *serio* et *attente*, *cum desiderio* colligendi ex aspectu inferni *uberrimos fructus*, quales sunt : *timor salutaris*, *animus gratus* erga Deum, quod non jam damnati in inferno jaceamus sepulti ; *invicta patientia* in omni morbo, in omni tribulatione, quia nihil

sunt in comparatione eorum, quæ in inferno sustinere tenebamur, nisi Deus erga nos infinite misericors fuisset; tandem *magna generositas* ad laborandum pro gloria Dei et pro salute animarum, cum tali labore certissime vitetur infernus.

Nobis repræsentemus sacerdotem naturalem, sensualem, peccandi consuetudine laborantem, eumque supponamus hic et nunc *mori*, *judicari*, *detrudi in infernum*. Eum mente sequamur etquasi a longinquo conspiciamus, abreptum a dæmonibus et cum ipsis cadentem in ignem æternum.

Quid videt?

Quid audit?

Quid patitur?

Quid cogitat?

Quænam ipsius sors per æternitatem?

I. *Quid videt? Infernum*... locum fœdissimum... horridum... omni tormentorum genere refertum.

Infernum vocat Spiritus sanctus *carcerem* justitiæ divinæ: *Claudentur ibi in carcere.* (Isai., XXIV, 22). *Locum* appellat *tormentorum* (Luc., XVI, 28)

ubi *flamma cruciat* (ibid. 24). Vocat eum bis *caminum ignis* apud Matth. c. XIII, et sæpius in eodem capite *ignem inexstinguibilem* apud Marc. IX; *Lacum iræ Dei magnum* (Apoc., XIV, 19.) *Stagnum ignis* ardentis sulphure (Ibid., XIX, 20; XX, 9, 14, 15). JESUS CHRISTUS, qui judicaturus est vivos et mortuos, infernum *locum exsilii in igne æterno* nominat, et iis paratum, qui a beatifica visione Dei in perpetuum arcebuntur. De illis effatur Spiritus sanctus in Apoc. (XVIII, 7) : *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Videt igitur *oceanum igneum* ignitis fluctibus agitatum, in quo in omnem sensum abripiuntur animæ damnatæ.

Videt dæmones immani crudelitate damnatos persequentes et crudeliter torquentes.

Videt seipsum... sacerdotem... inter damnatos ! Quale spectaculum !

II. *Quid audit ?* Strepitum flammarum... clamores et ululatus damnatorum... eorum blasphemias contra Christum Dominum nostrum... amaras

dæmonum irrisiones... audit et hoc tristissimum verbum : *Tu es Sacerdos !* Quid potest respondere nisi : Etiam, sacerdos sum !

III. *Quid patitur ?* Jesus Christus, æterna Veritas, cui Pater potestatem dedit judicium facere, quia filius hominis est, *supplicia et pœnas* quibus damnati in inferno addicti erunt, clare revelat illis verbis, quibus sententiam damnationis pronuntiaturus est : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. » (Matth., xxv, 41.)

Triplex supplicii genus his verbis revelatur.

1° *Discedite a me*,—est poena damni, inter omnes gravissima ; qua damnati in perpetuum a facie Dei, a visione illa beatifica exclusi, et cœlesti gloria orbati erunt.

Quantus dolor, dum damnatus per omnem æternitatem vocem exprobrantium audiet : Ubi est Deus tuus ?

Ille, o sacerdos, perpetua caritate dilexit te, tibi vitam dedit, ut eum laudando, eum reverendo, eique serviendo salvus fieres. Tot et tanta salutis media

tibi dedit, quibus æternam salutem comparare potuisses : nunc *culpa tua eum perdidisti.*

Præ tot millibus te Dominus elegit ad fungendum Sacerdotio, annumeravit te inter familiares suos, ut habitares in domo Domini : nunc tua culpa eum perdidisti ! *Ubi est Deus tuus ?*

2° *Discedite, maledicti.* — Aliud genus supplicii in inferno, quod damnati æterna maledictione Dei futuri sunt onusti.

Quoadusque homo vivit, Deus illum sua gratia sustinet, solatur illum in angustiis, sua providentia regit et adjuvat.

Nunc autem tempus misericordiæ transiit ; venit maledictio super damnatum, qui a facie Dei projectus est.

Sanguis effusus Jesu Christi altius clamat vindictam quam sanguis Abel, et æternam maledictionem. Etiam et tuus amor, Virgo beatissima Maria, tuaque erga peccatores materna providentia tunc finem habent ; illi tui misericordes oculi clausi erunt ! Et tu, cum omnibus Sanctis cœlestibus, judicium

damnationis proferes : *Discedite a me, maledicti.*

3° Tertium genus supplicii in inferno *est pœna sensus.* Discedite *in ignem æternum :* verus ignis, etiamsi incomprehensibilis : *Cruciabuntur*, ait S. Augustinus, *miris sed veris modis.*

Ignis qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Ignis qui corpus et animam pertransit. Quo igne tamquam sale condientur ut semper ardeant, nunquam consumantur.

Ignis sine ullo refrigerio nec guttula aquæ. *Crucior in hac flamma.* Ignis qui non exstinguitur, qui in æternum ardebit.

IV. *Quid cogitat ?* Continenter eum cruciabit hæc cogitatio : *Facile potuissem me salvare... Deus voluit me salvum fieri... et ego nolui salvari. Tempus non est amplius.* Et hæc desperabunda cogitatio quantopere cruciabit sacerdotem in inferno! Semel periisse æternum est.

Imaginatio cœlum et pulchritudinem cœli ostendet, quod perdidit!

Memoria objiciet media salutis, exhortationes, exempla quibus Dominus vocavit, manum suam extendit ad adjuvandum. *Stetit ad ostium et pulsavit !*

Intellectus indelebilem sacerdotii characterem demonstrabit, sed in opprobrium æternum, ut sciat ad quam grandem dignitatem fuerit elevatus et in quantam deciderit ruinam !

V. *Quæ sors ?* Æternitas infelix !

Semper a visione beatifica esse projectum !

Semper maledictione esse onustum !

Semper in ardoribus habitare !

Nunquam a doloribus allevari !

Quam terribilis sors et hæc quidem æterna !

Audi, o sacerdos, omnium damnatorum et dæmonum hanc lamentabilem vocem : *Quia malum et amarum est dereliquisse Dominum Deum nostrum !*

VI. Nunc supponamus Deum nobis permisisse ut hunc miserum sacerdotem interrogemus, et ut ipse nobis e profundissimo inferno respondeat.

1° *Quomodo* venisti, tu sacerdos, ad hunc locum tormentorum ? « Non pu-

tabam me huc unquam perventurum... Sed libido me decepit. Tepidus factus et imprudens, non fugi occasionem peccati ; cecidi, sacrilegio me tradidi, animarum occisor factus sum. Utinam orassem et vigilassem ! »

2° Quid nunc nobis das consilii ut et ipsi nunquam ad infernum deveniamus ?

Ama vocationem, o sacerdos... Cave ab otio. — Cave a potu. — Cave præsertim a muliere... Vigila et ora. Totus sis in amando Deum, — in amando Mariam, — in amando animas. Memorare novissima tua.

CONSIDERATIO.

De æternitate in inferno.

In hac mortali vita, quidquid diurnum est, *molestum est et grave.* Etsi grata est quies, tamen si sano duos annos in molli lecto continenter cubandum esset, non ferres tam diuturnæ *quietis laborem.* Quid si vero subeundæ essent unius anni graves et continuæ pœnæ calculi, confractionis ossium, aut adustionis, nonne quidvis pro dolorum illorum depulsione afferres ? At nunc considera gehennæ pœnas gravissimas, cum

quibus comparatum nihil grave est aut durum, quidquid hic mundus in durissimis ponit : ignis, membrorum contusio, fervens oleum, cruces, scorpiones, equulei, et quidquid acerbissimum dici cogitarique potest, etiam, si centum annis omnia simul toleranda forent, unius diei gehennam non adæquarent. Proinde sicut prudenter is sibi consulit, qui *istius mundi pœnitentiæ* inferni pœnas redimit, ita imprudentissimus videtur, qui impura levique voluptate captus, seiis, tametsi temporariæ essent, addicit. Quis enim adeo demens est, ut trium dierum equuleum, unius horæ libidinis emat ? Jamvero infernus non tempore sed æternitate, non anno, sed ævo mensuratur. Heu, exclamat vir sanctissimus, heu æternitas, æternitas, quam diuturna es, quam gravis, quam *vicina!* Quam parum a plerisque curaris ! Omne momentum in pœnis est annus : Quid erit æternitas in tormentis inferni ? Heu, miser peccator, in hac calamitosa æternitate perdurabis ! Si tot anni in cruciatibus ponerentur, quot peccata commisisti ; aut si hoc parum, quot saltem horis aut quadrantibus vixisti, vel si nec hoc satis est, quot sunt stellæ cœli, et maris arenæ, tolerabile videretur judicium. At vero hoc numero annorum non contenta justitia Dei, æternitatem pœnarum exigit : quæ æternitas, quantumcumque temporis demas,

nihil minuitur! Si auferas tot millia annorum, quot sunt in universa terra minutissimæ arenæ; si tot myriades annorum, quot guttæ numerantur in oceano, quot folia arborum omnium atque herbarum, quot gramina camporum: adhuc sibi constabit æternitas, adhuc nihil de duratione supplicíorum detractum erit. Peccatum mortale inferni ignibus ardet quidem semper, sed nunquam excoquitur; punitur, sed non expiatur. Neque putes diuturnitate sensum doloris minui; corpus peccatoris damnati non indurescit, neque callo obducitur: proinde neque pœnæ ipsæ mollescunt, sed quam graves tibi ipso in gehennam ingressu fuerint visæ, tales tibi per omnem æternitatem videbuntur, æque molestæ et intolerabiles, nisi forte culpa tua augeantur.

An tu, sacerdos, hanc durissimam æternitatem sufficienter expendisti? An ejus metu vitam tuam melius instituisti? An forte, quia solum præsens tempus æstimas, futura tamquam absentia et longe posita nunquam adventura putas? futura certe aliquando præsentia sunt, et nisi quandoque adessent, *futura* non dicerentur. Qui ante annos centum tu ætate et conditione vixerunt, illis non aliter æternitas futura fuit atque tibi futura prædicitur; præterierunt illi, migrarunt ex hoc sæculo, et *nunc præsentem* habent æternitatem, quam exspecta-

bant. Sicut igitur hodiernus dies superiori anno futurus erat, et nunc non futurus est, sed præsens, ita æternitas illa gehennæ, quam procul abesse existimas, aliquando te assequetur, præsensque aderit; et non sicut tempus omne, quantumvis longinquissimum, aliquando præteribit, sed *semel præsens facta in æternum præsens* manebit! Hæc tu, Frater, obsecro etiam atque etiam, cum animo tuo considera, et illam longe terribilissimam suppliciorum æternitatem, quam nulla oratio satis poterit enarrare, exiguo labore et pœnitentia devita.

O anima mea, æternitas te bona vel mala manet; et in potestate tua est cum Dei gratia bonam consequi; cur ergo non incipis serio pro cœlo laborare? Quid tibi cum transitoriis vanitatibus? Transibunt hæc omnia; quid te ex rebus mundanis conturbabit? Quid pro æternitate bona obtinenda grave esse poterit? Æterne Deus! qui me æternum creasti, ne permittas, quæso, me perire in æternum!

EXAMEN.

Circa modum agendi juxta gratiam.

1° Gratia *simpliciter* ambulat, fallacias vitat, omnia pure propter Deum agit et in Deo finaliter requiescit, dicendo cum Davide: *Mihi autem adhærere Deo bonum est:*

ponere in Domino Deo meo spem meam (Ps. LXXII). An talis est mea agendi ratio ?

2° Gratia studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati, quærit subjici, appetit vinci, et mavult facere voluntatem alterius quam suam. An sic ego ?

3° Gratia amat sub disciplina teneri, nec alicui cupit dominari ; propter Deum omni humanæ auctoritati humiliter parata est obedire. An talis est mea dispositio ?

4° Gratia non quid *sibi* utile et commodum sit, considerat, sed quod *multis* proficiat. An talis est meus modus agendi ?

5° Gratia omnem Deo honorem et gloriam attribuit. An sic ego ?

6° Gratia gaudet pro nomine JESU pati contumeliam. O Domine, quam longe absum a tali amore !

7° Gratia vacua esse non potest, nec manere otiosa ; quare libenter amplectitur laborem, ita ut nullum vitæ momentum vacuum sit merito. An talis est mea temporis practica æstimatio ?

8° Gratia simplicibus rebus delectatur et humilibus, non aspernans aspera, nec vetustis refugit indui pannis. An ego non videor exquisitiorem amare supellectilem, mensam delicatioribus cibis onustam, vestitum mundanum potius quam clericalem, et capillorum elegantiam ?

9° Gratia attendit æterna, non in hæret

temporalibus, nec in damno rerum turbatur, neque verbis acerbioribus accipit ærumnosa. An id de me dici potest, ita ut credar meum posuisse thesaurum in cœlo, ubi nihil perit?

10° Gratia pia est et amat quæ communia sunt, vitat singularia, se contentam ostendens paucis, atque judicans *beatius dare* quam accipere. An tali principio nititur vita mea?

11° Gratia fugit mundum, odit carnis desideria, restringit evagationes, erubescit in publicum apparere, in solo Deo quærit consolationem et cupit unice in summo bono super omnia visibilia delectari; quare non aliud præmium pro mercede postulat quam solum Deum. An mea conscientia testatur mihi hunc esse animæ meæ statum?

12° Gratia inimicos diligit, nec de amicorum turba extollitur; favet pauperi magis quam diviti; compatitur plus innocenti quam potenti; congaudet veraci, non fallaci. An ita agere soleo?

13° Gratia docet sensus restringere, vanam complacentiam et ostentationem devitare, laudanda et digne miranda humiliter abscondere, et de omni re, et in omni scientia, utilitatis fructum atque Dei laudem et honorem quærere. An hanc sublimem gratiæ doctrinam vel saltem a longe me secutum fuisse confidere possum?

O Domine, concede mihi hoc electorum

signaculum et pignus salutis æternæ, quo de terrenis ad cœlestia amando tollar, et de carnali efficiar homo spiritualis et in veritate vir Dei. Amen.

RECOLLECTIO V.

MEDITATIO.

De purgatorio sacerdotis.

1um Præl. Vividissime nobis repræsentemus locum in quo post mortem animæ justæ satisfacere coguntur divinæ justitiæ antequam admittantur in cœlum.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam hic in terris satisfaciendi pro peccatis nostris, ne diutius in purgatorii ignibus versari debeamus.

Ad concipiendum salutarem purgatorii timorem, attente consideret sacerdos *quid sit purgatorium.* Id autem conjicere poterit 1° ex iis quæ in hac vita contingunt; 2° ex modo quo sancti de purgatorio locuti sunt; 3° ex seria ipsius purgatorii contemplatione.

1um Punctum. — **Comparatio.**

In primis potes, o sacerdos, aliquo modo conjicere severitatem Christi in animas quæ purgatorii ignibus expiantur, ex iis quæ in hac vita contingunt.

Tribus potissimum modis homines luunt peccata, *in hac vita:* 1° pœnis quas *homines* ipsi assumunt ; 2° pœnis quas *Deus* infligit morbis, bellis, fame, persecutionibus, aliisque modis ; 3° pœnis quas *Ecclesia*, per ministros suos sacerdotes, imponit.

Et quidem si eas pœnas consideremus, quibus se complures, sua sponte, pro peccatis mulctarunt, inveniemus gravissimos labores et corporis cruciatus longe acerrimos. Simeon Stylites, multis annis, sub dio, in columna stetit; alii continuis jejuniis, ciliciis, frigore, verberibus carnem afflictarunt, neque ullam requiem corpori reliquam fecerunt.

Deus autem severissime peccata castigat. Ut enim Adamum, Davidem et Moysen prætermittamus, aliaque veteris novique Testamenti exempla, B. Hilarion, ut refert S. Hieronymus in ipsius vita, semel nonnihil in oratione pro fragilitate humana, distractus, sensit sibi insidentem diabolum, calcibus pungentem, cædentem, graviterque affligentem.

At vero Ecclesia Dei magnas olim pœnitentias in peccatores constituit, jejunia, publicam confusionem, vigilias multaque id genus, et quidem hæc pro gravitate peccatorum magis vel minus diuturna ; quosdam tota Quadragesima voluit pœnas dare ; alios per annos septem, nonnullos per totam vitam. Præterea, vetustissimus in Ecclesia usus anniversariorum sacrificiorum pro animabus fidelium, quia creditum semper fuit a christianis nonnunquam annos multos in his pœnis consumi. Et sane, si unum peccatum mortale septem annorum satisfactione, juxta veteres canones pœnitentiales expiabatur ; qui multis gravibus criminibus vitam suam maculavit, an non plurimorum annorum purgatione indigebit, nisi Ecclesiæ viventiumque suffragiis adjuvetur ?

Si igitur *homo ipse*, vestitus carne, tam gravibus pœnitentiis judicat peccata sua expianda, quid Deum facturum censes, qui nec minimum verbum otiosum impunitum patietur abire ?

Et si *Deus in hac vita*, tam graves

pœnas a peccatoribus exigit, *in tempore misericordiæ*, et ubi non solum satisfaciunt opera pœnæque hominum, sed etiam apud Deum *merentur*, quam graves erunt illæ quæ in futuro sæculo, in sæculo *non misericordiæ*, sed *justitiæ*, ubi *non merito* locus erit, *non satisfactioni*, sed *satispassioni ?*

Denique si *Mater* Ecclesia in sinu suo ita graviter filios suos castigat, quam graviter animadvertet Deus *Pater* in filium, a Matre ista visibili Ecclesia adeo punitum ? graviora sunt nempe verbera patrum quam matrum.

II^um^ PUNCTUM. — **Sententiæ Sanctorum.**

Audi nunc, o sacerdos, et meditare quæ viri in Ecclesia doctrina et sanctitate clarissimi de pœnis purgatorii judicarint. Et etiamsi quis teneat cum S. Bonaventura (in lib. IV Sent., dist. 20) dum pœna Purgatorii dicitur gravior quavis pœna hujus vitæ, intelligendum esse de *gravissima* inter omnes pœnas Purgatorii, nihilominus apta sunt terrorem incutere quæ hic ex auctoritate certa transcribimus.

S. Augustinus, Enarratio in Ps. XXXVII : « Hæc iste (David) graviora formidans, rogat et dicit : Domine, ne in indignatione tua arguas me. Non sim inter illos quibus dicturus es, Ite in ignem æternum... Neque in ira tua emendes me : ut in hac vita purges me, et talem me reddas cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem... Et quia dicitur *salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita. »

S. Greg. M. in eumdem Ps., qui est secundus inter pœnitentiales : « *Domine, ne in furore tuo*... Quasi dicat : Scio futurum esse ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeant damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solum de furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari. »

S. Bernardus, *Sermo in obitu domini Humberti:* « Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere: sed durius erit futuras illas molestias tolerare. »

S. Thomas Aq. in Suppl. Summæ, quæst. 72: « Respondeo dicendum quod in purgatorio erit duplex pœna: una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur: et quantum ad utrumque *pœna purgatorii minima* excedit maximam pœnam hujus vitæ. Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior; et quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, ideo de retardatione

maxime dolent. Similiter etiam, cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tanto aliquid magis dolet de aliquo læsivo quanto magis est sensitivum : unde læsiones quæ fiunt in locis maxime sensibilibus sunt maximum dolorem causantes. Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquid læsivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur ; quod autem anima ab igne corporali patiatur, jam superius ostensum est. »

« Nemo vestrum dicat, quod plures imperiti homines dicere consueverunt : *Sufficit mihi, si anima mea purgatorii pœnas consecuta fuerit.* Credite mihi, fratres, quicumque hoc verbum ex animo dixerit, quid futurum sit purgatorium, non perpendit. Nescit enim quid petat, qui purgatorium desiderat. Stultissimus omnium hominum est merito judicandus, qui satisfacere in hac vita cum possit Deo pro peccatis, differt ad futuram. » (Joannes Trithemius, L. I, hom. 13. ad Monachos.)

Quam merito concludit Thomas Kemp. : « Melius est modo purgare

peccata quam in futuro purganda reservare. » (*Imit. Ch.* I, 24.) « Melius est nunc parum et salubriter pungi, quam postea tam acerba luere tormenta Purgatorii. » (*Soliloquium animæ*, c. III).

III^um^ PUNCTUM. — **Contemplatio.**

1° Meditare, o sacerdos, *loci hujus horrorem*, in quo animæ a desideratissimo Dei conspectu relegatæ, concluduntur ; quod tanto animas ibi conclusas torquet acerbius, quanto illæ perfectius divini conspectus jucunditatem intelligunt : quantum enim boni, quo carere coguntur, perfectior est cognitio, tanto etiam, quæ ex illius desiderio percipitur *molestia*, vehementius excruciat.

Cogita quantopere molestiam hujus supplicii augeat ardens earum mentium, quæ hoc carcere continentur, in Deum amor ; quippe quanto hic ferventior est, tanto etiam ipsis est acerbius, vel brevissimo tempore a Dei conspectu arceri.

Non parum etiam ad hanc molestiam doloris accedit ex eo, quod plerumque præstituti sibi ad expiationem spatii terminum ignorant ; dum nihil de præ-

sentis tristitiæ gravitate incognitus malorum terminus potest distrahere.

2° Ipsam *pœnarum*, quibus hoc loco animæ expiantur, gravitatem expende, quæ licet *temporis brevitate* multum ab inferni cruciatibus distinguuntur, nihilo tamen sunt *asperitate* mitiores.

Cogita igitur omnia hujus vitæ tormenta, omnes corporis afflictiones et cruciatus nullo modo cum iis doloribus, quibus ibi vel uno die animæ conficiuntur, in comparationem venire posse. Tu, o sacerdos, admirare hic incredibilem divinæ justitiæ rigorem, qui eas animas, quas *infinito amore* complectitur, tam immanibus suppliciis patitur affligi, donec *omnes omnino* anteactæ vitæ maculæ hisce suppliciis expiatæ fuerint.

Quantum nos merito omnia scelera, etiam ea quæ leviora putantur, horrere ac fugere convenit, cum in hoc supplicii loco omnia tam acerbis cruciatibus castigentur.

Cogita longe mitiorem doloris sensum fore ejus, qui aliquot annorum lustris igne hoc nostro vivus ureretur,

quam qui *unico* tantum *die* purgatorii cruciatus sustineret. Quam temere igitur nos ea scelera perpetramus quæ ibi multorum annorum incendio erunt expianda !

3° Admirare stultitiam eorum hominum qui ob exiguum emolumentum, aut voluptates, aut vanam gloriolam, aut divitias, in tantos se cruciatus abjiciunt. Quam eum excordem duceremus, qui sarmenta et ligna, quibus exurendus ipse esset, magno labore compararet ? Multo eorum dementior vecordia, qui cum sciant *peccata* esse *fomitem* ac nutrimentum terribilis illius incendii, non omni industria hanc a se ignium materiam amoliri contendunt. An non forsan, o sacerdos, etiam in te aliquid tantæ stultitiæ, tantæ vecordiæ deprehendere est ? Quod si fuerit, procul dubio id ex toto corde dolendum est.

4° Ergo conquiramus sedulo ea *præsidia* quæ a nobis hæc tormenta possint depellere. Hujusmodi sunt : Vita virtutum instructa comitatu ;... mundi rerumque caducarum despicientia ;...

assidua de Deo divinisque rebus meditatio ;... sibi ipsi minime indulgere ; ... nulla delicta in se impunita negligere ;... ac Deum frequenter orare ut ipse clementer in nos hic temporariis pœnis animadvertat, ne, scelerum nostrorum punitione in alteram vitam dilata, immanibus illis purgatorii flammis expiandi destinemur.

Nunc ergo, o Frater, dum vivis, *tantum* saltem curæ industriæque impende, ut te a dirissimis purgatorii flammis expedias, *quantum* ad evitandos *hujus vitæ ignes operæ* adhiberes. Summa sane prudentia est mala a longe prospecta omni quo possimus modo a capite nostro depellere. Utinam hæc sit omnium sacerdotum prudentia ! Amen.

CONSIDERATIO.

De iis quæ mortem consequuntur.

1. Quæ accidant corpori post discessum animæ, palam sunt ante omnium oculos : jacet cadaver inanime, sine sensu, deforme, horribileque aspectu ; conditum in terra, paulatim fœtore vermibusque dissolvitur,

et post dies non ita multos in cinerem redigitur ; nihil restat præter ossa ; quæ si videas, quis qualisque fuerit, dives an pauper, nobilis an rusticus, rex an opilio, non agnosces.

2. De anima quid agatur, nihil certi habemus ; quædam tamen generatim, vel naturali lumine, vel fide novimus, quæ possunt homini terrenis rebus immerso maximo esse terrori. Nam simul atque evolaverit anima ex corpore, severissime in totam ejus vitam inquisitum iri scimus, judicioque Christi sententiam ferendam, ut vel optime sit ei, vel pessime in omnem æternitatem.

Tria autem sunt hominum genera in quos a Christo judice statim a morte sententia profertur. 1° Quidam ex hac vita discedunt in infidelitate voluntaria, iisque æquiparandi sunt catholici illi qui sua peccata mortalia sufficienti pœnitentia non deleverunt. Hi omnes, severissima Christi sententia, sempiternis flammis adjudicantur. Cum multi censeant horum numerum esse longe maximum, magnopere vereri quilibet debet, ne illo etiam ipse comprehendatur. 2° Sunt qui plene atque perfecte peccatis purgati, multisque operibus bonis meritisque redundantes vita decedunt ; qui statim a corpore, ad vitam æternam transmittuntur. Putant nonnulli hos esse paucissimos rarissimosque, quod ingens sit splendor gloriæ cœlestis,

ad quem, aiunt, difficillimum est attingere laboribus nostris. Utinam nos saltem sacerdotes, quos tot ac tantæ gratiæ præveniunt, et qui immensis per sublimissimam nostram vocationem circumdamur mediis, inter hos paucissimos numerari mereamur ! 3° Sunt igitur medii inter hos catholici, amici Dei divinaque gratia ornati, qui ob internum Spiritus sancti donum amicitiamque Dei securi sunt a gehenna, neque tamen ob sordes quasdam reliquiasque peccatorum ita mundi, ut digni habeantur consortio Sanctorum ; suntque hi primo, qui post mortalia peccata, dolorem quidem sincerum et sufficientem concipiunt, sed morte præoccupati, nondum baptismo, aut, si quidem christiani sint, pœnitentiæ sacramento expiati. Et hos credunt nonnulli admodum paucos esse : quod rara sit, aiunt, contritio extra Sacramentum. Secundo, qui a peccatis mortalibus pœnitentiæ sacramento purgati fuerunt, sed dignos pœnitentiæ fructus non egerunt. Horum, ni fallor, in purgatoriis ignibus est ingens numerus, quod fere in hac vita homines, etiam sacerdotes, de *satisfactione* nihil vel parum cogitent, sed omnem satisfactionem in futurum sæculum reservent.

Tertio, qui mortalibus quidem peccatis liberi decedunt sed quotidianis et venialibus turpati, qui æ deliberate commiserunt.

Et horum aliqua graviora sunt, qualia sunt jurare in re non magna, fraudem facere, detrahere, mentiri. Alii peccata habent, minus gravia quidem, sed quæ non difficulter vitare queas, ut temporis aliquid otio et fabulis terere, ad laudem suam leviter loqui, in cogitatione illicita nonnihil inhærere; paulo amplius quam tibi advertas necessarium vel ad sanitatem utile, potus aut cibi sumere. Alii denique minima, sine quibus propter naturæ nostræ imbecillitatem hæc vita non ducitur, cujusmodi sunt otiosum verbum, inanis risus, distractio mentis in orationibus, levis oblectatio in laude, et motus quos theologi secundo primos appellant, hoc est, affectiones malarum cogitationum, quibus priusquam plene advertat, voluntas tangitur et leviter oblectatur. Hæc omnia debent purgari, quia nihil inquinatum aut minima labe aspersum, intrabit in gloriam Beatorum. Apostoli omnes, Christi testimonio, mundi erant; dictum est tamen B. Petro: *Nisi lavero te*, hoc est, nisi abstersero pulveres pedum tuorum leviaque peccata delevero, *non habebis partem mecum;* quia, etiam qui lotus est, mundusque totus, opus habet ut pedes laventur, et non tantum *ligna*, sed fœnum quoque et stipula adeoque festuca, igne absumantur. Ligna, id est, majora, absumentur tardius; fœnum, id est minora, citius; stipula atque festuca, id est, minima,

solo motu transituque per ignem auferentur. Ergo, o sacerdos, aut, discas purgatorii pœnas non parvi facere, aut, si in eo felicitatem ponas ut, liber a gehenna, purgatorii ignibus post hanc vitam munderis, memento eas esse pœnas gravissimas et acerbissimas, quantas secundum sententiam B. Augustini nulli passi sunt martyres pro justitia, vel impii pro flagitiis. Christi quidem Domini passio superavit cæterorum omnium viventium dolores; sed graviores sunt illi purgatorii cruciatus, ad quos adeo serena fronte et erecto animo tu festinas!

EXAMEN.

Circa consilia mortis.

1° Disce, o sacerdos, ab exsangui cadavere *opes deliciasque contemnere, et naturæ appetitibus non ultra debitum obsequi*

An non forsan tibi nimia est cura et sollicitudo circa lecti mollitiem;... circa vestium cultum;... circa atriorum laxitatem; circa peristromatum splendorem;... circa reliquum exquisitissimarum deliciarum apparatum, quibus foveri et ornari corpus consueverit?

2° Disce *vanas mundi cupiditates, ac turpes libidinum motus, quantum fieri poterit,*

ne sentire quidem, aut saltem contemnere. Quot propter talia perierunt !

Nonne identidem aliquantulum tibi videris illicitis carnis concupiscentiis annuere et sensualitatis stimulis cedere, ita ut periculum sit ne aliquid inde detrimenti patiatur castitas tua sacerdotalis ?

3° Disce *animum ab iis rebus quas mundus tantopere admiratur, quam longissime abducere.*

Diligunt autem mundani homines et quærunt magna cum diligentia *honores, famam, magni nominis existimationem ;* an tu non es ex numero talia diligentium, talia quærentium ? An non avidius appetis dignitates, munera honorifica, laudes, applausus, titulos insignes ? An tibi sufficienter persuasum est hæc et alia similia non esse nisi vanitatem vanitatum ?

4° Disce *voluntariam obedientiam.* Ex necessitate corpus tuum exsangue omnium voluntati tradetur, adeo ut illud ponere possint ubi voluerint, vilibus pannis induere, cooperire cœno et sordibus, quin aliquid objiciat corpus. A corpore igitur tuo mortuo disce sponte te omni legitimæ auctoritati submittere, ut faciant de te quodcumque voluerint superiores, tamquam esses cadaver. An hæc fuit, an est tua animi dispositio ?

5° Disce *a silentio, quod post animæ dis-*

cessum circa lectum tuum funebrem erit, et mox circa tuum sepulcrum, strepitum verborum, quibus forsan nunc te exaltant homines, flocci facere.

Nonne sæpe ita visus es laudes humanas æstimare, ut ad minimam existimationis significationem, te viderint lætitia elatum, et ad minimum contemptus signum animo prorsus dejectum? Nonne iterum exclamare cogeris: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas?

O Frater, si vitaveris quæ in hoc examine vitanda proponuntur, exspecta confidenter in cœlesti vita thesauros veros, veras dignitates, veram gloriam, vera gaudia in perpetuum constantia, pro *fluxis* istis ac *fallacibus*, Dei amore, a te neglectis.

RECOLLECTIO VI.

MEDITATIO.

De ingressu animæ in cœlum.

1. Præl. Animo in spem lætam erecto dic : Lætare, anima mea, nam *videbis* quæ sit gloria Domini, in quam fidelis sacerdos intrabit, et *affluet* gaudio bonæ spei, et *mirabitur cor tuum* ex amplitudine præmii.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam nosmetipsos, spe æterni præmii, stimulandi ad laborandum multum, ad patiendum fortiter, ad moriendum generose.

Nihil pio sacerdoti majores addere solet animos, quam frequens cogitatio de felici sua sorte, qua sperat se fruiturum, idque per totam æternitatem. Ad hanc jucundissimam animæ dispositionem augendam, contemplationem de ingressu sacerdotis in cœlum proponimus, usurpantes ea quæ passim leguntur in scriptis sanctorum Patrum.

I. *Iter ad cœlum.*

Anima sancta, quæ digna hoc cœlesti regno judicatur, quo putas triumpho

in possessionem tantæ gloriæ ingredietur? Reges inaugurandi, cum magna pompa et solemnitate inducuntur, et romani duces olim confectis feliciter bellis domum revertentes, cum incredibili splendore et apparatu in Capitolium invehebantur. Sed hæc inauguratio, quantumcumque splendida, nihil est, si cum triumpho animæ justæ comparatur. Ecce Lazari mendici anima, ante reseratas cœli portas, ab ipsis angelis est in sinum Abrahæ deportata. (Luc., XVI, 22.) Itaque *angeli ipsi* sunt vice currus triumphalis. Ipsi vehunt animam in cœlum, ipsi magno numero comitantur. O quam suave vehiculum! Quam certi itineris duces! Quam nobiles et jucundi comites! Quam honorabiles ductores! In ipso vero progressu cum laudibus Dei non tacebuntur laudes triumphantis animæ. *Hæc est virgo sapiens quam Dominus vigilantem invenit. Hæc est quæ nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit. Hic vir,*

despiciens mundum et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu. Tunc ejus facta generosa dulcissimo carmine ab Angelis celebrabuntur, talique cœlesti melodia pervenietur in cœlum, sicut de servulo paralytico narrat S. Gregorius.

II. *Adventus ad cœlum.*

Ad cœlum ubi ventum fuerit, mirabitur anima insolitam regionem ; nova erunt omnia. Occurrent sancti congratulabundi et in casta oscula ruentes. *Si enim Angeli in cœlis gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente*, dum in magno discrimine degit ; quantum erit gaudii super eodem, jam de hostibus omnibus victoriam et triumphum reportante ? Et si gaudent Angeli, quanto magis homines, ejusdem nobiscum naturæ, conditionis et patriæ. Et si ex longa peregrinatione redeunti filio occurrunt mater et domestici in hac vita, et omni eum obsequii et officii genere gratificantur ; quam vehementer lætabuntur et gratulabuntur nobis beati illi spiritus, qui longe majori caritate nos complectuntur quam ullus morta-

lium ; præsertim cum ex multo longiori periculosiorique peregrinatione in securiorem salutis portum invehimur ? Inter hos autem sanctos, illi præcipue gaudio et exsultatione triumphabunt, quibus nos aliqua necessitudine conjuncti fuerimus, vel causam alicujus boni aut salutis attulimus, vel quos singulari devotione coluimus.

III. *Ingressus in cœlum.*

Hoc jucundissimo ornatissimoque sanctorum comitatu, in intima cœlorum penetralia introductus, admiraberis, o sacerdos, regionis amœnitatem, campos non terrenos sed cœlestes, palatia non lapidibus, lateribus aut gemmis, sed sublimiori materia divinis manibus artificioque constructa. Solis lux, utpote obscurior, illic non lucebit ; nam *claritas Dei illuminat* illam domum, *et lucerna ejus est Agnus.* (Apoc., XXI, 23.)

Hinc inde circumspectans, varios sanctorum choros videbis. Quibus salutatis, et ab iisdem officiose resalutatus, ascendes ad novem choros Angelorum, quos in suo quemque munere et officio constitutum videbis : ex qua

re, dictu incredibile est, quantam sis voluptatem percepturus. In hac gloriosa profectione, quos audies concentus Angelorum atque beatorum hominum? Quam melodiam? Quas Dei laudes, canticum novum, perpetuum alleluia. In tanto numero canentium, tanta singulorum attentione, tanto ordine, tanta harmonia, tanta majestate, quid cogitabis? Quo gaudio afficieris? Qua dulcedine perfunderis? Qua devotione cumulaberis?

IV. *Accessus ad thronum Reginæ cœli.*

Prætervectus Angelorum ordinem, ad cœlorum Reginam, Dei ipsius Matrem, adduceris, quæ sola gratia ac majestate sua decimum chorum constituit et adornat. Tot enim tantisque donis et ornamentis est exculta, ut quidquid sapientiæ, pietatis, caritatis, pulchritudinis, honoris, gloriæ sanctis omnibus a Deo collatum fuerit, id omne in ipsa tamquam in nobilissimarum rerum thesauro collectum videas. Hanc aspicies amictam sole, et lunæ quasi scabello insistentem, illustri corona, duodecim stellis tamquam gemmis

quibusdam distincta, capite redimitam; quæ serenissimo vultu ad te conversa: « Veni, inquiet, sponsa Christi, accipe « coronam quam tibi Dominus præ- « paravit in æternum. Invocasti me, « et quotidianis precibus postulasti ut « JESUM benedictum fructum ventris « mei post exsilium tuum tibi exhibe- « rem ; jam te ad eum deducam teque « coronandum dignoque præmio affi- « ciendum ei sistam ;» et commemoratis orationibus, quas pro te ad Filium suum fundere solita fuit, singulisque beneficiis post ejus preces tibi a Deo collatis, in majorem te sui amorem et veneratio-nem excitabit.

V. *A Christo accipitur.*

Ulterius duce Matre Deipara throno Christi appropinquans, admiraberis gloriam unigeniti Filii Dei, sedentis ad dextram virtutis et majestatis Dei, qui tibi obviam factus, id quod in supremo judicii die futurum promisit, etiam hoc tempore aliquo modo præstabit. *Iterum veniam* et assumam vos ad meipsum. Nam, si filium prodigum, qui totum patrimonium suum decoxerat, accur-

rens amplexus est et exosculatus; quid filio probo e pugna redeunti facturum putas? Primo sane, more matris, quæ infantis lacrymantis faciem sudario tergit, *absterget omnem lacrymam* ab oculis tuis, et ejusmodi procul dubio verbis consolabitur : Benedicte tu, fili mi et frater dilectissime. Gaude et exsulta; jam non erit tibi amplius *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (Apoc., XXI.) *Jam hiems transiit,* et difficultas omnis *abiit et recessit.* Deinde quod tanto tempore concupivit anima tua, ut oscularetur te osculo oris sui, suavissimo castissimoque amplexu et osculo te sibi in sponsam desponsabit. (Cant., I.) Tum exhibitis manuum, lateris pedumque vulneribus, quidquid pro te annis triginta tribus gesserit passusque sit, in memoriam revocabit. Tu vero, venerabundus sacra illa vulnerum loca deosculaberis, tantique Domini in te bonitatem et misericordiam admirans, in ejus amorem incredibiliter exardesces.

VI. *Deducitur ad Patrem æternum.* Manu prehensam, te sponsam suam

adducet Christus ad thronum Patris æterni, ut ipsam videas et possideas *divinitatem*. Ubi, sicut Moyses, in monte Sinai in nubem ingressus, caligine tectus fuit : ita tu, ingressus in gaudium Domini tui, totus a Deo absorptus, homo plane divinus evades. Hic Deus, Pater sempiternus, gloriæ coronam tibi imponens : *Euge*, inquiet, *serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui:* tantum quippe est gaudium ut totum capere nequeas ; sed sicut *spongia* in aquam missa oppletur quidem aqua, sed universam aquam non capit ; ita tu *gaudio* quidem et *Deo* replebere, sed tamen totam illius gaudii amplitudinem mentis tuæ angustiæ non poterunt continere. O vere beata tunc erit anima tua ; vidensque exsultabis lætitia inenarrabili et glorificata. Deus porro locum tibi designabit in numero sanctorum, labore et virtute tua dignum, juxta illud Sapientis : « *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum, et secundum intellectum peregrinationis ipsius.* »

(Eccli., XVI, 15.) Ad quem locum ubi perductus fueris, miraberis tibi asservata et quasi in thesaurum collecta quæcumque per totam vitam egisti, nihil eorum prætermissum, nec haustum quidem aquæ frigidæ egentibus datum, et miraberis res exiguas et minimas tanta mercede compensari.

Quæ hic jam dicta sunt, fient illa quidem, sed non eo modo quo dicta sunt, fient; sed quomodo ab hominibus explicari non possunt, fient. Puncto temporis, summo splendore, inexplicabili lætitia, modo supernaturali, quemque illi soli intelligent quibus dabitur experiri.

Considera igitur, o sacerdos quanta sit futura res illa, quæ te in æternum beabit, eadem nimirum quæ sanctos Apostolos, quæ beatos Angelos, quæ Deum ipsum. Qua enim re Sancti Dei atque adeo Deus ipse oblectatur et beatus est, nisi Deo et contemplatione possessioneque Divinitatis? Hac eadem tu frueris, et in æternum frueris! O te beatum ergo, Frater, si gloriam istam intelligas, beatiorem si desideres, beatissimum si consequaris!

CONSIDERATIO.

De varia hominum sorte.

I. Considera, o sacerdos, discrimen quod est inter *vitam* Sanctorum, et eorum qui mundi studia sectantur.

Observa in Sanctis vitæ tranquillitatem, animi pacem, virtutum frequentia exercitia, nihil eos optare, nihil ambire præter Deum solum, in quo thesauri sunt omnes, opes, dignitates, gaudium; omne in ipso bonum suum reconditum esse sciunt. Hinc perpetua conscientiæ securitate fidentes, se suaque omnia divinæ providentiæ permittunt.

Ex altera parte considera in hominibus hujus sæculi continentem prope animi perturbationem, cogitationum tumultus, cupiditates insatiabiles, avaritiæ inexplebilem sitim, honorum ambitionem, voluptatum ardentem appetitum, et hæc omnia internis odiis, invidentia, livore permixta.

II. Considera discrimen quod inter *mortem* proborum et mundanorum interjaceat; quanta animi anxietate, quibus conscientiæ stimulis, quanta perturbatione opprimantur ii qui spem suam omnem in divitiis, honoribus, voluptatibus hujus vitæ repositam habuere, cum advenisse vident supremum illud tempus, quo hæc omnia, quæ tanto labore et sollicitudine quæsivere, sint deserenda! Quam acerbe animos eorum hujus-

modi cogitationes effodiunt! Quid de thesauris fiet? Quis bonorum possessor futurus? Quid secum e tantis facultatibus auferent?

Contra vero quanta animi pace et tranquillitate supremam horam, ducentem ad immortalem vitam, possessionemque æternam bonorum, exspectant, qui cogitationes omnes, omnia studia, dum vivebant, ad Dei obsequium direxere, et frequenti præmeditatione se ad fatalem hanc necessitatem comparavere! Nec enim tunc ea metuunt deserere, a quorum amore diu ante affectum suum abduxerunt; sed magis exsultant quod tempus illud jam proxime adesse videant, quo sunt possessionem eorum bonorum adituri, quorum desiderio toto vitæ tempore innumeros labores pertulere. Tum enim se ad laborum suorum terminum, et initium præmii sempiterni attigisse conspiciunt. Hi sunt qui magna securitate possunt dicere: Domine, tu nosti, nihil præter te a nobis unquam aut quæsitum, aut optatum fuisse; tibi soli studia nostra laboresque omnes fuisse consecratos; tu modo fidem tuam, promissorum tuorum satisfactione exsolve.

III. Considera quanta sit utrimque *mercedis* et *præmii* differentia. Attende primum quam *inanem* mundus suis sequacibus mercedem persolvat: sepulcralem sindonem, angustum loculum, exsequiarum ad tumu-

lum usque affectationem, campanarum sonitum, epulum funebre, cippum denique quo cadaver e vivorum conspectu excluditur, et cum his plerumque in sempiternis flammis cruciatum sempiternum. Vide quid mundus, quid consanguinei, quid defuncti hæredes meritis rependant; quid secum ex omni sua supellectili mortuus auferat, quid ii, quorum causa tota vita laboravit, mercedis ei persolvant.

At si beatorum præmia expendere volueris, nulla hæc facundia explicare, nullius ingenium concipere potest. Quis enim æternæ felicitatis magnitudinem, cœlestium gaudiorum jucunditatem, sempiterni regni coronas, opes, dignitates animo capiat? Quis assequatur voluptatem quam ex perpetuo divinæ naturæ conspectu, æternaque familiaritate, amicitia, congressu, fructuque sempiterno percipient?

Admirare vecordiam eorum qui mundo tam pertinaciter adhærescunt, a quo tam malignam laborum compensationem accipiunt; atque e diverso prudentiam sanctorum, qui tam copiosam brevissimi laboris, in omnem æternitatem duraturam exspectant.

Quis sacerdos, dum sanæ mentis sit, post hanc considerationem serio factam, non exclamabit cum S. Joanne Berchmans: « Alii « faciant quod volunt, ego volo fieri sanctus, « magnus sanctus, brevi tempore. »

Ad tuam consolationem et ad majorem sanctissimæ tuæ vocationis æstimationem, sedulo, o Sacerdos, considera quantum sit discrimen inter sortem tuam et sortem mundanorum, sive in vita, sive in morte, sive æternitate.

EXAMEN.

Circa vias ad cœlum.

Frustra de tanta cœlorum gloria meditamur, si non teneamus *viam* quæ ducit ad illam gloriam. Atqui quædam sunt indicia quibus inducamur ut speremus confidamusque nos esse in via recta ad vitam æternam. Circa hæc utile erit nos diligenter examinare.

I. Primum indicium. Est serenitas conscientiæ et quies interna, juxta illud : « *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* » (1 Joan., III, 21.) Non tamen in omni nec in sola illa interna pace et tranquillitate est quiescendum. Sed hæc quies mentis, de qua loquimur, ex eo proficisci debet quod quis post *diligentem* et *quotidianam* actionum suarum considerationem, nihil in se inveniat quod divinæ legi repugnet et nihilominus frequenti confessione leviora peccata deleat.— An habeo hoc indicium ?

II. Secundum indicium est : in domandis

passionibus animæ progressum fecisse atque, dum præsentem diem cum præcedentibus confers, in te mutationem reperiri, tametsi non omnino exstincti sint motus perturbationum. Danda igitur tibi esset opera ut vitiis pravisque inclinationibus animum tuum liberes, earumque loco virtutes compares, caritatem, benignitatem, patientiam, bonitatem, quæ cum sint fructus divini spiritus, declarant sua præsentia Spiritum sanctum adesse. — An habes hoc secundum indicium ?

III. Tertium indicium est : si ista bona terrena contemnas, et flocci pendas divitias, honores, vanitates, et quidquid mundani homines magni ducunt; et contra delecteris iis quæ Christus Dominus amplexus est et commendavit, contemptum pro Dei amore, castitatem, vitæ asperitatem, alterius voluntati et judicio parere. — An habes hoc tertium indicium ?

IV. Quartum indicium est : desiderium vitæ cœlestis, si cum B. Paulo cupias dissolvi et esse cum Christo; non more illorum qui pusillanimitate et impatientia molestias refugiunt, quas in mundo pati coguntur, sed amore præsentiæ Christi. Habet sane hoc indicium, qui certa spe æternæ beatitudinis consequendæ tenetur, qui frequenter de futura vita cum voluptate et desiderio cogitat, ad illam anhelat, illuc bona sua

præmittit, in illam omnem suam consolationem differt. — An habes hoc quartum indicium ?

V. Quintum indicium est : tribulationes et molestias in hac vita pro justitia sustinere, hoc est, crucem Christi ferre.Si igitur recte vivens nihilque præter Deum quærens, affligaris,optime sperandum tibi est de præmio æterno ; et valde notanda sunt verba Angeli Raphaelis, quibus in hunc modum Tobiam consolatur : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*(Tob., XII, 13.) Qui igitur malis urgetur et vexatur in hoc mundo, is gaudeat, quia merces ipsi bonorum operum copiosa in cœlis conservatur. An habes hoc quintum indicium ?

VI. Sextum indicium est : pati persecutionem propter justitiam et ferre injurias invicto animo, et omne malum, quod adversum te dixerint mentientes, propter JESUM ; nam, ipso JESU id affirmante, merces tua copiosa est in cœlis. An habes hoc indicium inter omnia certissimum ?

O JESU, concede mihi sacerdoti conscientiæ serenitatem, fortitudinem animi ad domandas passiones et ad comparandas virtutes, contemptum nugarum hujus mundi, desiderium ardentissimum vitæ cœlestis,sufferentiam tribulationum imperturbabilem, ita ut eas non solum sufferam *patienter* aut *libenter*, sed cum sancto gaudio, et dicere

valeam cum Apostolo tuo: *Superabundo, gaudio in omni tribulatione nostra.* (II Cor. VII, 4.) *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (II Cor., IV, 17.)

RECOLLECTIO VII.

MEDITATIO.

De SS. Eucharistia.

1^um^ Præl. Vividissima fide nobis repræsentemus Christum in tabernaculo commorantem, nosque benignissimo vultu aspicientem.

2^um^ Præl. Petamus gratiam tantum beneficium agnoscendi et æstimandi ut par est.

Christus Jesus inter alia Sacramenta unum præcipuum et sanctissimum, quo nullum majus aut melius, aut nobilius, aut venerabilius esse potest, in ultima Cœna, *qua nocte tradebatur*, instituit. (I Cor., XI, 23.) Cujus institutionis veram et miram historiam non solum Matthæus, sed et Marcus et Lucas, immo et Paulus describunt, ut eo minus de veritate ipsa dubitemus. Voluit Ecclesia ut quotannis, quam solemnissime facti tam mirabilis recordatio per octo continuos dies in mentibus fidelium renovaretur. Intentioni Matris nostræ respondebimus, si hanc recollectionem

in augmentum nostræ pietatis erga SS. Eucharistiam direxerimus.

Posset quis considerare cum Theologis in *dante* liberalitatem, in *dono* pretiositatem, in *modo dandi* congruitatem, in *accipiente* necessitatem et utilitatem. Sed talis tractatio potius pertinet ad explanationem doctrinæ christianæ. Utilius nobis erit *contemplari personas*, quæ in hoc mysterio se nobis offerunt.

I. Contemplemur ante omnes *ipsum Christum Dominum* latentem in Tabernaculo.

Quis est in se? Quis relative ad homines? Quis in præterito? Quis in præsenti? Quis in futuro?

Filius est unigenitus Dei; secunda Persona SS. Trinitatis; Verbum æternum; Patri consubstantialis, immensus, æternus, omnipotens, infinitus; tantæ caritatis ut carnem assumere dignatus sit ex Maria Virgine et homo factus sit. Qui *Deus homo* apparuit in terris, totus amabilis, totus desiderabilis, *pertransiens benefaciendo*, mirabilia patrans in hominum favorem

sanans ægrotos, resuscitans mortuos, afflictos erigens, peccatores convertens; tantæ bonitatis ut ad servum redimendum non dubitaverit mori in crucis patibulo. Qui redivivus ex mortuis, pro nobis ascendit in cœlum, ut nobis in domo Patris pararet locum, et regnum nobis disponeret pro tota æternitate. Qui in fine sæculorum iterum venturus est in mundum *judex* mortuorum et vivorum.

Interea nolens nos relinquere orphanos, excogitavit rationem vere divinam manendi nobiscum in hac lacrymarum valle : ad consolandos animos tot miseriis oppressos ; ad reficiendas vires tot morbis debilitatas ; ad placandam divinam Justitiam, nostris peccatis continue ad iram provocatam.

In hoc mysterio amoris, sub specie panis, sub specie vini absconditus est et velatus ; sed fide firmissima apprehenditur, iterum amabilis totus, totus desiderabilis, infinite bonus, infinite sapiens, infinite potens, totus flagrans amore erga Patrem, erga fratres adoptionis, quos sanguine suo redemit.

Sed quam sæpe in hoc Tabernaculo conspicitur *solus*, *pauperrimus*, quasi ab omnibus *derelictus* et deditus oblivioni! Quam sæpe læsus injuriis summis et vera crudelitate ex parte hominum! Et tamen *patientem* video, in suo amore *constantem*, paratum semper ad condonanda delicta, ad gratias impertiendas, ad se tradendum iterum in sacrificium, in sacramentum. Quis talem amicum, talem benefactorem non summe æstimaret, non ardentissime redamaret? Profecto omni existimatione, omni amore dignus est talis ac tantus. Et tamen, o mi JESU, quam pauci homines te pro merito æstimant, quam pauci te amant!

II. Duplicem distinguere possumus hominum classem, qui quamdam cum SS. Eucharistia relationem habent. Est enim classis SS. Eucharistiam *contemnentium*; est classis SS. Eucharistiam *adorantium*. *Adoratores* paucissimi, *contemptores* bene multi.

A. Contemptores.

Primus gradus contemptus est, Eucharistiæ mysterio assensum negare,

non credendo. Innumeri sunt qui Eucharistiæ dogma rejiciunt ; a quo enim homines inceperunt suæ superbiæ indulgere, nolunt submittere suam rationem rationi divinæ veritatis ; ideo infelices sunt, cum dixerit Filius Dei : *Beati qui non viderunt et crediderunt.* (Joan., XX, 29.)

Secundus gradus contemptus est, credere quidem divinæ Eucharistiæ, sed ita vivere quasi Dominus JESUS in Tabernaculo non commoraretur. Templa nostra non frequentant ; missæ sacrificio non intersunt ; dedignantur se divino cibo nutrire. Talium numerus crescit in dies.

Tertius gradus contemptus est, credere SS. Eucharistiæ, se SS. Eucharistiæ præsentem præstare, sed ita se gerere in præsentia cœlestis Hospitis, ut quis Eum provocet ad iram irreverentiis suis et ratione agendi contemptu plena. Utinam ad hanc classem non pertinerent sacerdotes nonnulli, nonnullæ personæ cultui divino specialiter consecratæ !

Quartus gradus contemptus est, cre-

dere SS. Eucharistiæ, templa frequentare, ad divinam mensam accedere, sed cum conscientia maculata, cum conscientia certa de statu peccati mortalis. Et si talis *sacerdos* sit, crescit ejus contemptus propter majorem cognitionem, propter majora beneficia accepta, propter majores obligationes quibus se constrinxit erga Deum, dum suscepit sacerdotium. Ecce, accedere audet ad altare impurus; impura manu sumit Hostiam sanctam, eam in os impurum introducit, et cum inaudita crudelitate eam in pectore impuro sub pedibus ponit dæmonis impuritatis !

Quam conclusionem ex hac consideratione deducere debet vir apostolicus, nisi ardentissimo zelo se debere flagrare ad minuendum numerum contemptorum ?

B. Adoratores.

Eucharistiæ adoratores voco omnes Christifideles, qui ad præcedentem classem nullo modo pertinere cognoscuntur.

In hac Eucharistiæ adoratione etiam varios possumus distinguere gradus.

Primus gradus est, nunquam coram Tabernaculo se sistere absque reverentia, absque firmissima fide de præsentia Christi. Tales suam fidem produnt tota corporis compositione, genuflexione pia et singulari modestia. Sane optandum est ut nullus sit sacerdos qui non in hoc gradu inveniatur.

Secundus gradus est, frequenti visitatione suum amorem significare erga JESUM in Tabernaculo præsentem, variisque obsequiis Eum consolari.

Tertius gradus est, esurire panem divinum, eumque frequenter manducare cum omni reverentia, cum ardenti amore, et pro summa gratia ducere quod liceat communionem recipere singulis diebus.

Quartus gradus est, cum JESU eucharistico cœleste quoddam habere commercium sanctamque contrahere familiaritatem, ita ut sancta Eucharistia nobis sit *thesaurus*. Unde fiet ut, quoniam cor nostrum ibi solet esse ubi est thesaurus noster, cor nostrum ita affixum maneat Tabernaculo ut inter ip-

sum et JESUM intima et continua quædam unio oriatur. Qui in hoc felicissimo stant gradu, frequentissime cogitant de Tabernaculo; adeo ut etiam de nocte expergefacti, cogitent statim de JESU eucharistico Eumque e longinquo adorent.

CONSIDERATIO.

De dispositione ad martyrium.

Multoties in decursu anni pietati nostræ objicit Ecclesia memoriam *Sanctorum martyrum*. Monet autem nos sanctus Augustinus *solemnitates martyrum esse* totidem *exhortationes martyriorum*. Quod quidem perpulchre explicat nobis martyr aliquis Societatis JESU, sanctæ Theresiæ nepos et socius Beati Ignatii de Azevedo, dum in conspectu cruciatuum, quos parabat tyrannus, fortiter exclamavit : « *Eia, fratres, ne degeneremus ab excelsis cogitationibus filiorum Dei !* »

Hauserant igitur illi boni Religiosi, quadraginta erant, ex vita Martyrum, quorum legerant historias, *celsitudinem* quamdam *cogitationum*, quæ tamquam necessaria ad martyrium ab illo sancto juvene prædicabatur.

Utile profecto erit nobis sacerdotibus con-

siderare quænam sit illa cogitationum celsitudo quæ animos ad martyrium obeundum parare debeat.

Ut omnibus notum est, *martyrium* idem sonat ac *testimonium*. Martyres sane *testes* sunt. « *Testes eritis mihi*, » ait Dominus, loquens ad dilectos suos discipulos. Et quid testantur? Testantur Dei majestatem, potentiam bonitatemque ; testantur Dei benignitatem et magnificentiam ; testantur Dei in remunerando suos fidelitatem.

Hæc autem attributa Dei testificantur sua admirabili et invincibili *fidelitate*. Ita ut martyrium pro Christo morientium duplex sit testimonium, testimonium *virtutis* illius qui testis est, et testimonium summæ *perfectionis* illius qui testimonium accipit.

Celsitudo ergo filiorum Dei, qui martyrii gloria insigniti conspiciuntur, et a qua nobis minime degenerandum est, *celsitudo* est *fidelitatis*. Explicandum igitur est quænam sit hæc *fidelitas excelsa*.

Eo libentius hanc martyrum dispositionem explicamus, quod non unum est martyrii genus. Etenim præter martyrium *sanguinis*, datur et martyrium *caritatis* ; et hoc martyrium duplici modo multi sacerdotes consequuntur, bene scilicet vivendo, nam vita religiosa æque ac sacerdotalis martyrium est ; et talenta sua et vires omnes ad-

hibendo religiosæ puerorum educationi, cum hæc educatio martyrio sanguinis æquivalere dicatur ab Angelico Doctore.

Itaque *excelsa* sit oportet *fidelitas* nostra, si ab excelsis cogitationibus fratrum nostrorum non degenerare velimus.

Excelsa autem dicitur fidelitas, quæ *alto nitens principio, ad universam suam se extendit materiam, sedulo vitans quidquid infidelitatis notam incurrere posset, et omnem superans vim, sive terrestrem, sive diabolicam, qua posset impediri.*

Requiruntur ergo quatuor, ut quis in excelso fidelitatis gradu stare dicatur.

Requiritur ut alto nitatur principio ; ut ad omnes se protendat officii partes ; ut omnes actionis circumstantiæ quamdam habeant perfectionem ; ut omnia quæ sibi adversari cognoverit, viriliter evertat.

1° Altum porro principium non aliud est quam *principium ex fide petitum.* Scit homo *fidelis* se in cœlis habere Regem, Dominum, Patrem ; scit se omnia ab hoc Patre, hoc Rege et Domino accepisse quidquid habet, se creatum esse ut sese mancipet totum tanti Regis et Patris servitio. Ergo fidelis est, quia *Dei creatura*, quia *Dei servus*, quia *Dei filius* ; fidelis est ex *timore;* fidelis est ex *grato animo ;* fidelis est ex *amore.*

Est ex illis qui, ut jubet Apostolus,

non sunt *ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus.* (Ephes., VI, 6 et 7.)

Excelsam igitur fidelitatem non habet ille qui fidelis est ut videatur ab hominibus, ut ab hominibus laudetur, ut hominibus placeat, ut hominum vitet reprehensiones et castigationes.

2° Quoad *materiam* fidelitatis, eam amplissimam esse confitemur : *Latum mandatum tuum nimis*, ait Propheta, i. e. *latum valde*. Complectitur enim omnia Dei Ecclesiæque mandata, consilia Evangelica, vota nostra, statuta Ordinis vel diœceseos, jussa Prælatorum, quidquid quocumque modo legitima auctoritate nobis injunctum fuerit.

Excelsam fidelitatem non haberet ille qui contentus vitare peccata gravia, levia non curaret, qui contentus implere vota substantialia, regulas vel statuta negligeret, qui jussa superiorum *imperativa* tantum exsequens, ad nutum obedire recusaret. Nam qui excelsa gaudet fidelitate, fidelis est etiam in minimis.

3° *Circumstantiæ* fidelitatis reducuntur ad *tempus*, ad *locum*, ad *modum*. Vir excelsæ fidelitatis non solum facit *quæ* facienda sunt, sed eo *tempore* facit, eo *loco*, eo *modo*, quæ novit esse juxta mentem jubentium.

Sic quotquot excelsam æmulantur fidelitatem, meditationem instituunt non qualicumque hora diei, sed hora *constituta ;* hanc peragunt non deambulando per hortum, sed in cubiculo vel in ecclesia ; non oscitando meditantur, non dormiendo, sed *cum fervore*, cum *reverentia*, et in quantum fieri potest, genuflectendo, nisi experientia didicerint se melius orare sedendo. Et sic de cæteris rebus, circa quas versari dicebamus nostram fidelitatem.

4° Quarta conditio excelsæ fidelitatis est, superare quidquid ad infidelitatem nos allicere videatur. Ad infidelitatem autem alliciunt *respectus humanus*, *timor laboris*, *tædium* et *animæ repugnantia*, *tentatio*, *sensualitas*.

Hæc omnia *virili conatu* devincit ac superat vir vere fidelis, non ignorans eo pulchriorem se accepturum esse coronam, quo durius sustinuerit certamen, quod Deus dedit ut vinceret et fidelis inveniretur.

EXAMEN.

Circa dignitatem sacerdotalem.

1° An cogitas identidem quæ sit Sacerdotum dignitas ?

Aliquomodo *infinita* est, *divina* est, juxta SS. Patres.

2° An te pro tanto munere *gratum* exhibes?

3° An induis spiritus tanto fastigio et ipso Deo dignos ?

4° An tuus *exterior* et *interior homo* vivam de his mysteriis *fidem,reverentiam* et *angelicum* amorem spirat ?

5° An non venis ad *aram* ita ut familiaritas contemptum pariat ?

6° An ad *confessionale* non ruis velut ad nundinas, ut merces, rumores et alimenta *sensualitati* compares ?

7° An nullæ in hoc foro *æmulationes*, sed non charismatum meliorum ? — An nullæ *contentiones*, non tam pro spiritu quam pro carne ? — An nulla personarum acceptio, distinctio ? — An omnium et personarum, horarum, dierum, sine discrimine ?

8° An cogitas in dispensatione sacramentorum agi de pretioso Sanguine Christi, et tibi dispensationis suæ reddendam rationem?

9° An non cathedram conscendis cum adulterantibus verbum Dei, ut *te* potius quam *Deum* prædices ?

10° Quomodo in tuo munere sustines personam Christi ? Vide quæ sit tota tua agendi ratio; an hæc *sanctitatis* spiritui, exemplis majorum, fidelium ædificationi, temporum necessitatibus respondeat ?

O JESU, fac ut mihi familiaria sint hæc sanctorum adagia : *Age quod agis... Nihil obiter... Sancta sancte !*

RECOLLECTIO VIII.

MEDITATIO.

De sacerdote præsentium temporum.

1um Præl. Conspiciamus sanctum Paulum scribentem : « *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ... ut milites ... bonam militiam.* » (I Tim., I, 18.)

2um Præl. Petamus a JESU ut et nos, intelligentes ad *quantam* nos exhortentur *militiam præsentia* bella, *strenuos* exhibere valeamus *milites*.

1um PUNCTUM. — Necessitas sacerdotum idoneorum.

Tempora præsentia talia sunt, ut requirere videantur, ad salvandam societatem, sacerdotes non vulgaris notæ, non animis pusillos, non sensuales aut rebus terrenis inhiantes : sed *viros*, qui sub omni respectu gloriosum mereantur nomen *virorum Dei ;* sacerdotes, inquam, *castos*, *doctos*, animi vigore *fortes*, et ita fortes, ut *pares* inveniantur labori giganteo, giganteis periculis, immo pares giganteis sacrificiis,

sine quibus sperare nobis non licet de hostibus triumphum referre *certum*, *plenum* atque *stabilem*.

Nobis enim sacerdotibus colluctandum est cum adversariis, ut vidimus, qui sunt *numero*, et *astutia*, et *malitia* terribiliores quam qui unquam exstiterunt.

Ex his hostibus nonnulli *aperto vultu* nobis inferunt bellum, neque timent manifestissimis verbis declarare se eo animo agere ut quidquid bonum sit, quidquid honestum, quidquid sanctum, deleant de facie terræ, et ipsam societatem humanam impiissime subtrahant omni legi sive civili, sive divinæ; *Socialistas* nominavi. Summa esset nostra imprudentia, si nobis persuaderemus eorum infractas jam esse vires, eorum ordines esse perturbatos, eos proinde aliquid jam dimisisse de sua impudentia, de sua audacia, de sua crudelitate. Vivit socialismus; magis invalescit in dies; auget et forti disciplina format legiones suas ubique, easque jam sine intermissione ad luctam præparat terribilem. Et id quidem faciunt

cum ea *vehementia*, cum ea *dexteritate*, cum ea *constantia*, ut bellum istud duci videatur, non ab hominibus, sed ipsis dæmonibus.

Sunt et alii sacerdotum adversarii, qui ipsos aggrediuntur non apertis armis, sed occultis ; non pugnando, sed insidiando, sed seducendo, sed crudeliter spoliando. *Mulieres* sunt, quales, nostris temporibus, inveniuntur non paucæ ; vanæ scilicet, leviores, sensualitatem spirantes verbis et gestibus; nutritæ romanticorum librorum lectione; assuetæ scenæ spectaculis ; abreptæ illo voluptatum, illecebrarum et delectamentorum torrente, qui pervadit regiones etiam quam maxime catholicas. Quapropter prudens sacerdos frequenter in memoriam revocabit aureum monitum S. Augustini, cum loquitur de feminis quas frequentat sacerdos. Quo magis piæ videntur, ait, quo sanctiores habentur, eo periculosiores sunt et subtiliores ad seducendum ; ita ut non raro quod cœptum est in spiritu, terminetur in carne. Hinc pro omni sacerdote ingens periculum.

Addo nostris diebus istud periculum crevisse ex necessitate operum piorum et socialium, propter quæ sacerdotes frequentius cum mulieribus et puellis commercium coguntur habere.

Est et tertium adversariorum genus pro sacerdote, et cum his adversariis quotidiana est colluctatio : sunt enim intra nos et aliquo modo invisibiles. Est *otiositas ;* est *sensualitas ;* est *levitas* animi ; est *horror* et *fuga* omnis *serii* laboris ; est *superbia ;* est *zelotypia ;* est *nimius* distractionum et libertatis amor.

In hoc tam multiplici bello, nos *vocatione* et *officio defensores* sumus veritatis, religionis, honestatis, Ecclesiæ, societatis.

Ergo, ut alias jam diximus (tomo IV, p. 289) « omnino necessarium est ut unusquisque nostrum, ea omnia sibi comparet quibus hostes tales ac tantos possit superare. »

« Jam vero, quibusnam, quæso, rebus, in certamine quocumque superari solet hostis ? Pugnantium *ardore*, *constantia* et *fidelitate*. *Ardore*, quia quo major

est ardor, eo vividior est actio. *Constantia*, quia non primus impetus tribuit victoriam, sed ultimus: ergo pugnandum est usque ad finem. *Fidelitate*, quia omnia pendent ab ea ; et quidem juxta legem militarem, ita fidelis esse debet miles, ut dispositus sit accipere mortem potius quam deserere stationem, in qua constitutus est. »

Meum igitur est animosius et melius quam ante, vobis proponere, in menstruis vestris congressibus ea omnia per quæ vos adjuvare valeam ad hæc tria vobis comparanda, et quidem singula in summo gradu. In summum gradum *ardoris*, in summum gradum *constantiæ*, in summum gradum *fidelitatis*, vos, Dei gratia opitulante, et Mariæ præsidio favente, pro viribus impellere conabimur. Ad hunc nostrum conatum dirigentur, ut confidimus, omnia exercitia nostræ recollectionis totius anni. Faxit Deus, ut fructus conatui nostro plenissime respondeat.

Ad finem igitur quem intendimus certius obtinendum, successive vobis consideranda proponam *varia subsidia*,

quibus poterit uti sacerdos ad acuendum in se *ardorem*, ad firmandam suam *constantiam*, ad augendam in dies suam *fidelitatem*.

II^um^ PUNCTUM.—**Subsidium fundamentale.**

Primum subsidium sacerdotale est sine dubio *Spiritus fidei*, et hoc subsidium merito quis vocaverit *fundamentale;* fundamentum enim est omnium aliorum subsidiorum, de quibus in decursu anni agetur.

Quando quis, ait S. Augustinus, ædificare vult domum, palatium, templum, turrim vel arcem, *incipit* a fundamento, et tota ipsius sollicitudo est ponere fundamentum supra *petram*, vel saltem supra *solum firmissimum*, quod par sit sustinendæ toti structuræ; nam si nutat fundamentum, nutat totum ædificium et corruit. Atqui ut habeatur hoc solum firmissimum, ejicitur quidquid *arenosum* est aut *mobile;* et non consistit in hoc suo *primo* labore ædificator, nisi perventum sit ad istam petram, vel ad istud solum firmum quod quærebatur.

Quod vobis præstare volumus hoc

anno, comparare possumus constructioni *arcis militaris*, in quam nos *bellatores Dei* nos recipiamus, in qua nos ad artem bellandi exerceamus, et unde in hostes impetum faciamus.

Incipiamus hanc spiritualem structuram a *fundamento*, et ante omnia *terram arenosam* ejiciamus. Hæc autem terra arenosa est in genere omne *peccatum lethale;* et in specie, quando agitur de sacerdote qui studet ad perfectionem sacerdotalem pervenire, terra arenosa dicenda est *tepiditas. Prævius* igitur *labor* noster sit per totum mensem virili conatu hanc tristissimam terram ex anima nostra ejicere, ut per sequentem mensem solide jacere valeamus fundamentum quod est, ut diximus, *Spiritus fidei.*

Et ne quis putet in se non inveniri hanc terram arenosam, attente consideret sequentem *sacerdotis tepidi* delineationem.

1° Dicendus est tepidus ille sacerdos qui ægre portat, seu potius qui *pigre trahit* jugum Domini. Quidquid facit pro Domino, v. g. orare, meditari, mis-

sam celebrare, recitare officium divinum, instituere conscientiæ examen, id facit *obiter*, *molliter*, *ex consuetudine*, *sine affectu*, *sine corde*; pigrescrit peromnia!

2° Tepidus dicendus est ille sacerdos qui studet continue *onus* impositum *alleviare* atque *minuere*, decurtando exercitia spiritualia, ea sine causa ad aliud tempus remittendo, ea omittendo, et scripta levia et curiosa pervolvendo eo tempore quo res serias pertractare deberet.

3° Tepidus dicendus est ille sacerdos qui non cogitat nisi *de se* et de *suis commodis*, de iis quæ suam mentem avertere possunt a consideratione tristissimi animæ status ; nunquam serio videtur ad cor redire.

4° Tepidus dicendus est ille qui, vulgari contentus virtute, mavult cum iis conversari qui non altius quam ille desiderant ascendere, quique vanis et frivolis sermonibus eum ad risum solent provocare, fratres autem gravioris indolis sedulo fugit.

5° Tepidus dicendus est ille sacerdos qui, quidquid agit, propter motiva hu-

mana agit ; qui loquitur sine prudentia; qui legit et meditatur sine fructu ; qui cum vagis et incertis propositis peccata confitetur ; qui celebrat missam sine præparatione, sine seria actione gratiarum.

6º Tandem tepidus est ille sacerdos qui in se mille nutrit affectus veniales, cum minime a peccato veniali abhorreat. Toto igitur cœlo differunt inter se sacerdos fervidus, fidelis, devotus, generosus et sacerdos tepidus.

Quam fructuose transigeret hunc mensem sacerdos, si singulis diebus attenta mente institueret sequens examen.

CONSIDERATIO.

De vita fidei ducenda.

1um Præl. Audiamus sanctum Paulum dicentem : *Justus autem meus ex fide vivit.* (Heb.. X, 38.)

2um Præl. Petamus a Deo gratiam probandi nos *justos* esse, semper et ubique *ex fide* vivendo.

In præcedenti recollectione ante oculos propositus est ut *subsidium* sacerdotale *spi-*

ritus fidei, et intelleximus hoc subsidium merito nuncupari *fundamentale.*

Ut autem percipiatur quid sit ille spiritus fidei, notandum est homines esse quorum vita dirigitur spiritu *animali;* alios esse quorum vita dirigitur spiritu *rationali;* nonnullos esse quorum vita dirigitur spiritu *supernaturali.*

Nullus est qui non sentiat in classe supernaturaliter viventium esse debere omnem sacerdotem qui hoc nomine gloriari voluerit.

Atqui sacerdos, non animalis, neque mere rationalis, sed spiritualis, ita se duci sinit fidei principiis, ut hæc principia aliquomodo totum hominem pervadere videantur, adeo ut fide regantur ipsius *judicia* et quæcumque ex ipsis consequuntur. Quam recte judicat de *rebus terrenis* et *de sua sacerdotali vocatione!*

I^um^ PUNCTUM. — **Recte judicat de rebus terrenis.**

Aspiciens *vitam præsentem* oculo fidei, eam non habet ut *terminum* suorum desideriorum neque ut suæ felicitatis centrum. E contrario eam habet ut *stadium præparationis* ad vitam futuram ac meliorem; eam habet ut *tempus laboris et certaminis*, minime ut tempus requiei et pacis; eam habet ut tempus *Purgatorii* ad solvenda justitiæ divinæ debita et ad delendas animæ suæ ma-

culas ; Purgatorii, inquam, multo mitioris quam est Purgatorium alterius vitæ ; eam habet ut tempus probandi suum erga Deum amorem, et sibi parandi copiam meritorum pro æternitate.

Non minus recte judicat de *bonis temporalibus*. Bona temporalia vocamus divitias, laudes, honores, dignitates, munera honorifica, valetudinem, corporis vires, facultates animi et talenta et alia similia, quæ homines mundani et vani maximi facere solent, et omni quo possunt prosequuntur ardore. Justus meus sacerdos hæc omnia habet, non ut amabilia et desiderabilia *propter se*, sed quatenus *media* sunt ad finem ultimum promovendum, ad Deum glorificandum, ad sibi congregandas divitias immortales.

Hoc rectissimo utens judicio, aureum sequitur monitum Prophetæ : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (Ps. LXI, 11) ; animum proinde gerit paratum ad illas relinquendas, aut ad earum defectum tolerandum, quoties et quamdiu Deo placuerit, quoties et quamdiu ipsi essent salutis aut sanctificationis obstacula. Utitur profecto rebus creatis rationabiliter, non in eis considerans quid habeant in se jucunditatis, sed quid habeant ad finem ultimum utilitatis ; non an *placeant*, sed an *prosint*. Utitur eis *fortiter*, cavens sedulo ne ab ulla creatura quantumcumque grata ad viam, quæ

non sit via virtutis et justitiæ, ignaviter abripiantur. Utitur eis *generose*, desiderans et eligens semper ea, non quæ magis jucunda vel faciliora, sed quæ magis ad salutem animæ et ad gloriam Dei conducere posse creduntur. Non minus, si opus fuerit, paratus est eis uti *heroice*, gravissimas firmo animo sustinens ærumnas, vel energica voluntate adimplens superiorum jussa, amori proprio quam maxime repugnantia.

IIum Punctum. — **Recte judicat de sua sacerdotali vocatione.**

Ductus fidei lumine, minime, ut multi homines mundani, sacerdotium habet ut statum cæteris professionibus similem, in quo liceat plus minusve honorate ac commode vitæ annos transigere ; sed sacerdotium considerat ut omni terrena dignitate, vel regia vel imperatoria, excellentiorem. Considerat ut dignitatem importantem potestatem divinam. Considerat ut dignitatem secum trahentem obligationem vitæ spiritualis ac perfectæ. Considerat ut dignitatem, quæ tota quanta divinæ gloriæ ac animarum saluti sit devota.

Non ignorat quanti fieri solerent sacerdotes in antiqua lege. Legit cum admiratione (Num., XVI, 9), tanto eos honore affectos fuisse, ut separarentur ab omni populo, ita ut eis non esset pars in Israel, sed

Dominus eorum esset pars et hæreditas. Quid igitur dicendum de sacerdotibus Novæ Legis, qui non in figura sed in veritate æternum cum Christo exercent sacerdotium ; — qui non tantum sunt fideles, sed fidelium capita ; — qui non tantum membra sunt Christi, sed vicarii ; — qui non tantum vocati sunt ad regnum cœlorum, sed singulari vocatione destinati ad alios bene multos ad illud perducendos ; — inter quos et Christum, non solum exsistit successio ministerii sed identitas in prædicatione, consecratione et absolutione!

Cum ingenti gaudio in mentem revocat frequenter hæc pulcherrima sancti Joannis Chrysostomi verba : *Sacerdotium tanto regia dignitate sublimius est, quantum inter spiritum et carnem est intervallum* (Lib. III de Sacerd., init.) Et hæc sancti Ephrem (de Sacerd.) : *Excedit quippe orationem atque intellectum omnemque cogitationem donum dignitatis sacerdotalis.* Et hæc sancti Gregorii Magni : *Caput fidelium non immerito sacerdotes accipiuntur, quia pars membrorum Domini prima sunt.* (In caput XIX Job.)

Quidquid, dum vitam pervolvit et scripta Sanctorum, occurrerit de dignitate sacerdotali, sedulo adnotat et identidem non sine voluptate relegit, ut sequentia :

Sanctus Antonius Abbas genua flectebat coram sacerdote.

Imperator Constantinus in Concilio Ni-

cæno sedere nolebat, nisi Patres ante sedissent.

Sancta Catharina Senensis vestigia in terra relicta sacerdotum venerabunda osculabatur.

Pius archipresbyter Boudon genibus flexis ad sacerdotes scribebat.

Sanctus Franciscus Assisinas, si simul angelum et sacerdotem obvios habuisset, prius sacerdotem salutasset.

Ordinavit sanctus Franciscus Salesius pium juvenem, qui familiari et visibili Angeli custodis præsentia dignabatur. Ante sacerdotium Angelus præcedentiam in incessu habebat ; post sacerdotium habere nolebat. (Ex vita S. Franc. Sal.)

Sed ut magis ac magis semetipsum stimulet ad æstimandam et diligendam ardentissime suam sublimem vocationem, cum sancto Bernardo ex horto Scripturarum sibi colligit *fasciculum* florum, quem ad exemplum Sponsæ ponit inter ubera sua, piissima et fructuosa meditatione istorum florum percipiendo suavissimum odorem.

Nempe cordi ipsius suavissimo fragrant odore, quæ transcripsit ex Epist. I S. Petri, II, 9 : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Et hæc ex Dan., XII, 3 : *Qui autem docti fuerint, ful-*

gebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates Et hæc desumpta ab ipsa sancta Liturgia ex Eccli., XLV, 30 : *Statuit illi testamentum pacis et principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum.*

Hæc legendo, non potest meus pius sacerdos non mirabundus exclamare cum auctore Sermonis de excellentia SS. Sacramenti et sacerdotum dignitate, qui est inter Opera sancti Bernardi : *O præclara, o reverenda potestas* mea ! *Certe non est potestas post Deum, sicut potestas* mea, *cui nihil in cælo, vel in terra valeat comparari, consecrare videlicet Corpus et Sanguinem Domini ! Super potestate hac* mea, *super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis* meæ *privilegio stupet cœlum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum Angelica Celsitudo. O sacrum, o cœleste ministerium* meum, *laudabile desiderium, insigne spectaculum, solemne miraculum !*

Quis diffitebitur sacerdoti ingens esse *subsidium,* suum sanctissimum statum nonnisi oculo fidei considerare ? Utinam id facerent omnes sacerdotes ! Jucundius esset ipsis suum sacerdotium, et sine ullo dubio, fructibus abundantius.

EXAMEN.

Circa modum loquendi, agendi, patiendi ex fide.

Pulchre et docte modernus scriptor in opere periodico *Collationes Brugenses*, delineavit sacerdotem ex fide viventem, et oculis nostris veluti quoddam speculum vere sacerdotale exhibuit. Quisquis sacerdos se in hoc speculo seria examinatione consideraverit, profecto nonnulla colligenda sibi esse vel perficienda intelliget.

I. An fides regit *sermones* meos? — An loquela mea manifestat me esse virum fidei? An proinde semper de rebus sacris ac divinis loquor cum magna reverentia? — An non loquor de eventibus sive prosperis sive adversis, quasi non crederem divinæ Providentiæ, illa omnia ad sapientissimum finem ordinanti? — An non aliquatenus sum similis hominibus istis terrenis ac sensualibus unice fere sermocinantibus de negotiis temporalibus, de pecuniis, de recreationibus, de cibis aut potibus?

II. An fides regit meas *actiones?* — Qui ex fide vivit, ambulat in Dei præsentia; unde, orta tentatione quæ ad peccatum alliciat, statim ei occurrit cogitatio : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto;* quomodo possem hoc malum committere sub oculis Dei judicis mei? atque sic fidei scuto, omnia tela nequis-

simi ignea extinguit. — An mihi familiaris est præsentiæ divinæ recogitatio, qua excitor ad vigilandum, et ita caute ambulandum ut in nullum peccatum incidam; qua movear quoque ad viam virtutis gnaviter prosequendam? — Qui ex fide vivit, omnes suas actiones supernaturali intentione sanctificat; summo mane ac frequenter de die eas Deo suo offert ad majorem ipsius gloriam : an ita ego?

Sacerdos qui ex fide vivit *laborat sicut bonus miles Christi :* totus est in operibus officii sui, nec in illis *quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi ;* zelo zelat honorem Dei, regis sui ; ac libenter se impendit ac superimpendit in salutem animarum ; — si conatus ejus prospere succedant, inde non gloriatur, sed ad Deum, cui militat, omnem fructum ac laudem refert ; si vero successum non obtineat, ideo animo non deficit, fide edoctus Deum a ministro suo requirere curam, non curationem, sacerdotis esse plantare et rigare, Dei vero incrementum dare, quod interim ferventi oratione non cessat implorare. Quid ego? An non potius otio torpeo? aut sæcularibus negotiis me implico? — Nonne in ministerio sacro quæro lucrum temporale aut vanam hominum existimationem et laudem, interim de bono animarum parum sollicitus? — Nonne in labore meo videor Deum ejusque gratiam negli-

gere, quasi bonus exitus unice a me dependeret ?

Sacerdos ex fide vivens, orat cum magna reverentia, cum profunda humilitate, cum filiali fiducia, recogitans infinitam majestatem ac bonitatem Dei, quem alloquitur ; — in ecclesia versatur tamquam *in domo Dei quam decet sanctitudo ;* divinum hospitem tabernaculi viva fide una cum angelis altare circumdantibus adorat. — Missam celebrans recogitat suo ministerio renovari augustissimum crucis sacrificium, unit intentiones suas cum intentione divinæ Victimæ, atque tremendum mysterium tanta exteriori devotionis ac pietatis specie peragit, ut omnibus adstantibus inspiret reverentiam ; — sacramenta ministrans, meminit sese dispensare sanguinem Christi in emundationem ac sanctificationem animarum, et sancta sancte tractat.

An ita ego per omnia ? Numquid potius similis sum illis de quibus ait Dominus : *Labiis suis me honorant, cor autem eorum longe est a me ?* An non forsan ita indecore celebro, et, quasi ludicre, ad altare ita ministro ut adstantium animis de fide mea dubitationem ingeram ?

Sacerdos ex fide vivens superioribus suis *obedit ex animo* quasi Deo, recordatus verbi Domini : *Qui vos audit, me audit.* — In proximo, fidei oculo considerat quæ Dei sunt,

puta Dei imaginem, amicum, filium, Christi fratrem, sanguine ipsius redemptum...et sic facile quemvis proximum diligit propter Deum ; speciatim in pauperibus et miseris intuetur Christum : unde libenti animo eis opitulatur. — Item in exercitio cujusque virtutis, non solum moveri se sinit naturali virtutis honestate, sed supernaturalem ejus dignitatem præ oculis habet, ita ut actus illius cœlesti mercede digni reddantur. — Quid autem ego ?...

III. An fides me regit in *patiendo ?* Vir fidei, præsertim tribulationis tempore, fide cor suum quasi forti thorace munit, ne adversitatum spiculis confodiatur.

An similiter ego in die afflictionis ac tribulationis cujuscumque soleo principia fidei invocare, atque recogitare nihil adversi accidere sine voluntate Patris mei cœlestis ; hancque Dei mei voluntatem semper esse æquam, bonam, paternam ? An proinde novi Deo benedicere, etiamsi castiget me ? — An medias inter ærumnas consuevi oculum fide intentum tenere in JESUM, divinum meum Magistrum ac regem, patientem ac dolentem, meque suaviter invitantem, ut post ipsum ac cum ipso crucem meam feram patienter, immo et gaudenter ? An considero difficultates ac labores, molestias ac dolores, tristitias ac angustias meas, uti totidem particulas crucis Christi, pro me Calvariæ mon-

tem ascendentis? — An similiter in fidei lumine intueor mercedem magnam nimis patientiæ meæ in Cœlo paratam?

Domine, *adauge fidem meam*, ut deinceps sancte cogitem ac judicem; sancte loquar; sancte agam; sancte patiar!

DE B. MARIA VIRGINE.

DE SANCTO JOSEPH. — DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

RECOLLECTIO IX.

Jam ad alterius subsidii sacerdotalis (cfr. supra, p. 113) considerationem transimus, et non sine ingenti animi voluptate. Agitur enim de subsidio omnibus sacerdotibus jucundissimo, nempe de solida erga Beatissimam Virginem Mariam pietate et devotione. Equidem cum S. Bonaventura dicere cogor: « *Laudare compellimur, ne tacendo maneamus ingrati.* » Et cum S. Anselmo: « *Te vult, o Maria, cor meum amare; te cupit os meum laudare; te desiderat venerari mens mea; te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.* » (Orat. LII.)

Præterea tantæ existimamus utilitatis esse hanc tractationem, ut animus nobis subierit in ea per plures continuas recollectiones inhærere, ut quæ nondum de optima Matre in nostro « *Sacerdote* » proposita fuerint, nunc tandem proponantur, et sic opus nostrum sacerdotale accipiat debitum supplementum quod apud multos erat in votis.

MEDITATIO.

De sanctissimo Nomine Mariæ.

1um Præl. In memoriam revocemus verba S. Lucæ : *Et nomen virginis Maria.* (Luc., 1, 27.)

2um Præl. Petamus a Jesu gratiam nomen benedictæ Matris suæ semper summa veneratione pronuntiandi et invocandi ingenti cum fiducia.

1um Punctum. — **Nominis interpretatio.**

Merito dicitur nomen Virginis *Maria;* hoc enim venerabile Nomen triplicem habet interpretationem : interpretatur *Stella maris*, *Mare amarum* et *Domina.*

Fuit *maris stella* in Filii Dei nativitate, ait Ludolphus Saxonius : tunc enim emisit radium, totum mundum illuminantem. *Mare amarum* fuit in Filii passione, quia tunc ipsius animam pertransivit gladius ; sed *Domina* fuit in sua assumptione, quando super choros Angelorum est exaltata.

Has tres nominis Mariæ interpretationes aliquantulo inspiciamus, adju-

vante nos pia Sanctorum hujus nominis explicatione.

I. *Stella maris.*

1° Vocatur *stella* propter excellentiam *sui status* ; unde dicitur de ea: *Ego in altissimis habitavi.* (Eccli., XXIV, 7.)

Excellens etiam fuit *in ortu*, quia ante sanctificata quam nata ; nata est enim filia gratiæ, dum omnes alii nascuntur filii iræ. (Ephes., II, 3.) Excellens in *vita*, quia *virginitatem* vovit, licet sterilis malediceretur in lege, et quia *humillima*, dum multi superbiunt de virginitate ; et quia *fidelis* et *credula*, licet quod ei promittebatur, videretur impossibile, scilicet quod virgo conciperet, et pareret manens virgo. Excellens fuit in *partu*, quia sine dolore, natura mirante, suum peperit genitorem. Excellens fuit in sua *Assumptione*, super omnes Angelorum ordines erecta.

Gaude, o sacerdos, de hac tanta Reginæ tuæ excellentia, et simul tibi propone ita omni excellere virtute, ut tamquam *stella* effulgeas, non inter fideles tantum, sed etiam inter sacerdotes.

2° Vocatur etiam *Stella* seu *illuminatio*, quia Solem *mundo* dedit, qui tenebras peccati erat dissipaturus ; et quia *nobis* lumen gratiæ impetrat, qua *ut filii lucis* ambulemus. Fidenter igitur ipsam roga ut gratiæ lumen tibi exoret, qua emergere e tenebris peccatorum queas, et *sicut in die honeste* ambules, *non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione.* (Rom., XIII, 13.)

3° Vocatur *stella maris.* Adeo præclare de hac stella scripsit S. Bernardus, ut in sua integritate juvet oculis ipsius verba subjicere. « Nomen interpretatum *Maris Stella* dicitur, et Matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur, quia sicut sidus sine sui corruptione emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella, ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat ; cujus splendor et

præfulget in supernis et inferos penetrat; terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis,

Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde. Et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit, *Et nomen Virginis Maria.* »

Item *illuminatrix* interpretata est, quia splendore gratiæ et exemplis vitæ suæ sanctissimæ mundum illustravit. Unde de ea canit Ecclesia : *Cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.* « Tolle, ait Bernardus, tolle corpus hoc solare, ubi dies? tolle Mariam, hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur ? » De hac stella ortus est sol justitiæ, cujus fulgore illustrantur omnia, quem *qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cujus ergo fulgoris illam esse putamus, quæ hunc tantum ac ta-

lem solem peperit mundo ? Sane qui hanc stellam sequitur, a recta via recedere non poterit nec errare.

II. *Mare amarum.*

1° Nuncupatur in primis *mare* propter aquarum, id est *gratiarum plenitudinem ;* unde dicta est ab Angelo *gratia plena.* In mari enim nec fundus nec mensura est : nec Maria accepit gratiam ad mensuram aliorum. *Profundum abyssi quis dimensus est ?* (Eccli., 1, 2.) Hæc etiam plenitudo ex eo apparet, quod *sicut pluvia in vellus* descendit in eam Filius Dei.

O sacerdos, experientia didicisti quam necessaria tibi sit gratia et pro tua salute et sanctificatione, et pro salute et sanctificatione ovium tuarum. Hæc gratia, quantacumque sit, *guttula* tamen est, si comparetur cum plenitudine gratiarum propter quam Reginam nostram dicimus *mare.* Ab hoc igitur mari guttulam gratiæ, qua indiges, prece fiducia plena accipere satage.

2° Vocatur etiam *mare* propter *navigii aptitudinem.* Per eam enim tamquam per mare venit Christus in mun-

dum et per eam tamquam per mare transeunt veri Israelitæ ad portum felicitatis æternæ, submersis Ægyptiis.

Ergo, o sacerdos, effice ut Maria tibi *mare* sit, per quod veniat ad te JESUS, et per quod tu, submersis dæmonibus et vitiis, secundo cursu transmeare possis ad portum cœlestem.

3° Mare non potest exhauriri; omnes enim aquas recipit, et omnes aquas emittit, et semper plenum remanet, et ideo recipit ut emittat. Sic Maria a Deo recipit omnes aquas gratiarum, omnem plenitudinem universorum bonorum, ut ea nobis distribuat sine diminutione plenitudinis suæ, et ideo *ad locum unde exeunt flumina* beneficiorum *revertantur*, id est, reverti debent *per gratiarum actionem.*

Item sicut nec maris *profunditas*, sic nec Mariæ *liberalitas* potest exhauriri; indefesse enim et sufficienter universis, nisi per eos quid obsteterit, dat gratiam quam facillime invenit apud Deum. Adde quod *guttæ* ejus non possunt dinumerari, et gratiæ vel misericordiæ Mariæ innumerabiles sunt.

Arenam maris et guttas pluviæ quis dinumeravit ? (Eccli., I, 2.)

Quis, o sacerdos, hæc serio considerans, non exsultabit spe et lætitia, videns quot quantaque bona a tanta Matre liceat sperare ?

4° Mare *amarum* vocatur, quia sola ipsa cruciatuum et ærumnarum Filii sui plus quam universi homines particeps effecta est. Profecto temerarium esset aliquid addere divino planctui, quo celebrare solet Mater Ecclesia amaritudines Mariæ in hymno celeberrimo : *Stabat Mater.*

Considera, o sacerdos, Christum nos honorare, dum socios passionum nos facit. Acceptemus illas grato animo, et in iis perferendis imitemur patientiam, generositatem et resignationem Matris dolorosæ. Ergo frequenter dicamus : « Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo valide. Fac me tecum pie flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero. »

III. *Domina.*

1° Hoc nomen convenit ei in [illegible] tum ipsa Domina exsistit, non tantum

hominum in terra, verum Angelorum in cœlo et dæmonum in inferno; et ideo in omni tentatione, et maxime contra infestationem dæmonum invocanda est Maria; quia, secundum S. Bernardum, non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem, sicut illæ aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium et exemplum. Ut enim pulvis ante faciem venti spargitur, et sicut cera ante faciem ignis liquescit, sic ad invocationem hujus nominis Mariæ, tremunt et fugiunt. Præterea, ubi nomen Mariæ nominatur, ibi dæmonium effugatur, reis venia, medela ægris, pusillis corde robur, afflictis consolatio, peregrinantibus adjutorium datur.

2° Maria si Domina est omnium fidelium, certe et sacerdotum. Tuum igitur est, o sacerdos, ipsam ut talem revereri, et tantæ Reginæ obsequia debita præstare. Cave quidquam admittas, quod fidelem subditum minime deceat.

IIum PUNCTUM. — **Mariæ nominis dignitas et efficacia.**

1° Audiamus quid de hujus nominis dignitate more prophetico dixerit Salomon, quasi loquens ad Mariam : *Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* (Cant., I, 2.)

Recte hoc nomen *Maria* oleo comparatur, quia super omnia Sanctorum nomina, post nomen Filii, reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit ægrotos, putrefacit jugum diaboli, superenatat omni nomini, sicut oleum omni liquori. Dedit enim tota Trinitas nomen quod est super omne nomen, post nomen Filii Dei, ut in nomine hoc omne genu flectatur, sicut manifeste patet, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam et virtutem; non est enim in aliquo alio nomine, post nomen Filii, tam potens adjutorium; nec est aliquod nomen sub cœlo datum hominibus, post dulce no-

men Jesu, ex quo tanta salus refundatur hominibus.

Dicitur ergo, nomen *tuum*, id est fama nominis tui, quod prius clausum fuit quamdiu morata es in mundo, sicut oleum in vase, post assumptionem tuam ad cœlum, o Maria, *effusum est per* omnia mundi climata: nam in prædicatione Apostolorum, in *omnem terram* exivit sonus ejus, et manifestatum est toti mundo.

Vel juxta consuetudinem Scripturarum *nomen* ponitur pro *nominato;* proinde sensus est: oleum, id est *tu*, quæ nominaris oleum, juxta multas olei proprietates et maxime propter misericordiam, *effusum* extra vas suum, cujus vas ipse Christus, de cujus plenitudine accepisti et nobis de plenitudine gratiam pro gratia refudisti. Et quia *oleum effusum est*, nomen scilicet tuum, ideo *adolescentulæ*, fideles animæ, quæ exuto veteri homine cum suis actibus, novum induerunt, et ideo *novellæ* per gratiam, *non vetulæ* per culpam, non senio steriles, sed donis spiritualibus *fecundæ*, *fortes* in fide et dilectione, non debiles

ut vetulæ, non incurvatæ per amorem terrenorum, sed per cœleste desiderium *rectæ* et ad cœlos erectæ, dilexerunt te *nimis*, id est *vehementer !*

Quam merito exclamat auctor « Deprecationis ad gloriosam Virg., » post Opera S. Bernardi : *O magna, o pia, o multum amabilis Maria! Tu nec nominari quidem potes quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis.*

2° Dicere possumus de Beatissima Virgine : « Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. » (Prov., XXII, 1.) Et : « Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. » (Eccle., VII, 2.) Mariæ siquidem nomen, longe melius quam divitiæ corporales, quia melius angustiam relevat paupertatis, et dolori peccatorum medetur melius quam unguenta.

Pauper es ? Confuge ad nomen Mariæ, quæ tibi pauperrima exhibetur; et si devote attendas, o sacerdos, quod de hac paupertate exaltata est etiam super Angelos, jam non erit tibi onerosa paupertas.

Peccator es ? Ad Mariæ nomen confugias. Ipsum solum sufficit ad medelam ; nulla etiam pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad nomen Mariæ non recedat continuo.

Justificatus es? Sed forte videris tibi tentari supra vires, et eo amplius tentatoris times insidias, quanto te ab eo expugnatum aliquando recordaris ; recordare quod *turris fortitudinis* est nomen Dominæ nostræ : ad ipsum confugiet justus in tentatione, et etiam qui peccavit, et salvabitur.

Quis igitur sacerdos, qui hæc omnia attente consideraverit, non erumpet in hæc ardentissimæ pii Ludolphi verba :

« O nomen admirabile, o nomen delectabile, nomen gravidum sacramentis et divinis plenum mysteriis ! O nomen gloriosum, o nomen celeberrimum, o nomen sublime, ante tempora universa in Dei prædestinatione compositum et in tempore dignæ personæ secundum rem convenienter impositum! O nomen quod nominatur sæpius et frequentatur dulcius in concilio et congregatione justorum, et quod versatur clementius

in ore peccatorum ! Quis enim unquam criminum veniam petiit, nisi mediante Maria ? Omnes Mariam invocant ; omnes Mariam nominant, Mariam præ omnibus amant. Omnis ætas, sexus et professio Mariam studiose reclamat. Cum enim Summum Regem peccando perdimus, cum Angelos et Sanctos omnes offendimus, cum etiam nobis ipsis graves sumus, et omnino nescimus quid agere debeamus, hoc solum restat miseris ut oculos cordis et corporis ad te levemus, consilium quærentes, et petentes auxilium.» O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria, sis benedicta in æternum ! Amen.

EXAMEN.

Circa signa tepiditatis.

Multa sunt talia signa quorum præcipua sunt :

1° Orare sine fervore et attentione.

2° Meditari res divinas sine ullo fructu aut affectu.

3° Examinare conscientiam *obiter* et *sine compunctione* ac sine efficaci proposito emendationis.

4° Effundere se in res exteriores, non hominum salutis, sed tædii causa.

5° Ægre redire ad seipsum.

6° Difficulter se expedire ab hominum colloquiis.

7° Ex rebus creatis frequentius quærere solatium.

8° Libere de aliis loqui eorumque dicta et facta carpere.

9° Graviter ferre fratrum, immo et superiorum correctiones.

10° Languescere a zelo animarum, subterfugere fructuosos illius labores.

11° Obedire superioribus et statutis cum fastidio.

12° Obtinere libenter honorem ab hominibus.

13° In sacramentorum usu frigescere.

14° Non libenter conciones audire et libros spirituales cum fastidio legere.

15° Indulgere suo corpori et negligere opera pœnitentiæ et corporis afflictiones.

16° Divinas inspirationes, quibus ad vitam sanctam impellimur, sibi dissimulare vel omnino negligere.

17° Ægre de spiritualibus audire et loqui.

18° Curiosum esse novellarum, rumorum, et amantem nugarum recreationumque plus æquo.

19° Gustu virtutis posthabito, in studiis curiosis libenter occupari.

20° Amare consortium fratrum *liberiorum*, horrere consortium magis *exactorum*.

Dicamus cum auctore Meditationum quæ editæ sunt sub nomine S. Augustini: *Reseca in me, Factor mei, otiositatem, somnolentiam, pigritiam et mentis hebetudinem.* Et unusquisque dicat ad semetipsum: *Usquequo piger dormies? Usquequo de somno non consurges? Surge, grandis enim tibi restat via.*

RECOLLECTIO X.

MEDITATIO.

De Nativitate B. M. V.

1um Præl. Historia. Scribunt Epiphanius et Germanus patriarcha parentes B. Virginis secessisse, Joachimum quidem in desertum montem, ubi jejunavit quadraginta dies, Annam vero in hortum ad precandum Deum, ut sterilitatis ignominia liberarentur; Angelum autem revelasse Joachimo eum habiturum prolem, Annamque jam concepisse. Itaque, quo tempore in Judæa regnabat Herodes Idumæus, primus inter *alienigenas* Judæorum reges, natam esse Mariam. Theophylactus et Euthymius volunt Mariam fuisse unigenitam filiam Annæ, quæ nullum maritum alium habuerit præter Joachimum, neuter quoque alios liberos habuerit, nisi Mariam; quando autem Joannes Evangelista Mariam Cleophæ appellat nostræ Mariæ Virginis *sororem*, intelligi debere *cognatam*, sicut Sara dicta est soror Abrahæ, id est cognata.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam intime cognoscendi Mariam in mysterio ipsius Nativitatis, ut eam magis in dies æstimemus et ardentius diligamus.

Ium Punctum. — **Vaticinia.**

Cum magno pietatis sensu et cum evangelica simplicitate, siste te, o sacerdos, ante humiles *cunas*, quæ oculis tuis exhibent puellulam, quam ibi mox cum summa veneratione deposuerunt piissimi parentes, Joachim et Anna. Tantæ venustatis est, tantæ amabilitatis et gratiæ, ut præ admiratione in stuporem ipsi angeli conjiciantur. Hanc tu contemplare attentissime, revocans in memoriam, quæ de ipsa prædixerunt prophetæ.

Illa enim est, quæ præfigurata fuit per *fontem signatum* in horto concluso positum ; quia eam conclusam in utero matris Spiritus sanctus sanctificavit, et sigillo sanctæ Trinitatis sic conclusit et signavit ut in eam nunquam aliquid coinquinatum introiverit. (Cant., IV, 12.)

Illa est quæ præfigurata fuit per *Stellam* Balaam, qui promisit quod de

Jacob oriretur *Stella* (Num., XXIV, 17), Christus scilicet, et cum Christo Maria, fluctuantium ductrix et adjutrix singularis. Sine qua Stella non poterunt hoc fervidum mare pertransire, nec ad patriæ cœlestis portum pervenire.

Illa est beata Virgo, quæ, quoad suam nativitatem, præfigurata fuit per virgam de radice et stirpe Jesse, patris Davidis, egressam ; de qua flos amœnissimus, scilicet Christus ascendit ; super quam requievit Spiritus sanctus gratia septiformis. (Is., XI, 1, 2.)

Illa est, quæ præfigurata fuit per *portam clausam* quam Dominus Ezechieli (XLIV, 2) monstravit, quæ nunquam aperiri debebat, quia Dominus solus per eam clausam volebat transire.

Illa est, quæ præfigurata fuit per *templum* quod Salomon Domino ædificavit. Hoc templum erat constructum ex marmore candidissimo, et ornatum intrinsecus auro mundissimo. (III Reg., VI, 7, 22.) Sic Maria erat candidissima candore purissimæ castitatis, et ornata intrinsecus auro perfectissimæ caritatis.

Maria *domus* illa est in qua Rex gloriæ erat sedem suam erecturus, in usum illius exstructa cui cum non defuerit sapientia ad eam erigendam, nec potentia ad ornandam, credendum est ipsam fuisse absolutissimam, et quanta in creaturam competere potuit perfectione dotatam.

Hæc est illa cœlestis *aurora* (Cant., VI, 9) suo ortu lætificans cœlum et terram, cum imponat finem obscuræ damnationis nocti et initium felix faciat diei salutis ; *prænuntia* veri Solis justitiæ, tot votis a sæculo expetiti.

Contemplare igitur, o sacerdos, hoc opus *divinum ;* divinum, inquam, siquidem non dubitavit S. Augustinus Mariam vocare *opus æterni consilii.* Sensus est : adeo perfecta est Beatissima Virgo, adeo sancta, adeo pulchra, tot ac tantis dotibus ornata, ut ipse Deus, si, ad opera sua concipienda et exsequenda, indigeret, sicut nos homines, *aliquo tempore, æternitatem* adhibuisset ut Virginem Matrem talem crearet qualem creavit Mariam !

Adeo electa est, adeo perfecta, ut

Suaresius noster, post S. Bonaventuram et S. Thomam, docuerit Deum non potuisse facere matrem majorem Matre Dei. Non ergo timendum est ne devotio nostra, ne amor noster erga beatissimam Dei Matrem in excessum crescat. Dummodo ipsi divinitatem non attribuamus, ascendat admiratio nostra, æstimatio nostra quousque mens humana, immo et angelica ascendere valuerit, nunquam limites ejus magnitudinis et perfectionis attinget.

IIum Punctum. — **Gaudium.**

Considera, o sacerdos, quantum gaudium attulerit Nativitas Mariæ universo mundo. Nam si multi in nativitate Præcursoris gavisuri erant, quanto magis in nativitate Matris Dei!

Gavisa est *SS. Trinitas*, quod nata sit per quam decreverat gloriam suam mundo manifestare et operari redemptionem.

Gavisus est *Pater æternus*, in hac puellula *sui imaginem* agnoscens splendidissimam.

Gravisus est *Spiritus Sanctus*, *tem-*

plum videns sibi paratum infinitæ suæ majestatis dignissimum.

Gavisus est *Filius Dei*, intuens incomparabiles virtutes in illa, quam cum divina complacentia matrem suam modo appellabit.

Gavisi sunt *angeli*, admirando splendorem quo circumdabatur illa, quam per totam æternitatem suam amabilissimam salutabunt Reginam.

Gavisum est *cœlum*, illam contemplans quæ reparabit jacturas, quas fecit prævaricatione angelorum, quæque post Deum suus erit præcipuus splendor, decus et gloria.

Gavisa est *terra*: nata enim est Redemptoris sui Mater, sua Advocata potentissima et Mater benignissima.

Et tu, o Sacerdos, gaude quod nata est illa, quam a pueritia diligere assuevisti filiali amore. Gaude quod nata est illa quæ, post Filium suum, maximas habuit partes in negotio sublimissimæ tuæ vocationis. Gaude quod nata est illa, quæ te in templum Regis adduxit, te protexit, te in laboribus tuis adjuvit et sua potentissima intercessione

forsan impedivit,quin esses jam præda inimicorum tuorum in æternum. Sed præcipue gaude, quod nata est illa cu jus servi, juxta unanimem Sanctorum sententiam, perire non posse putantur. Gaude igitur, et, ut crescat in dies gaudium tuum, et perfectum sit, contende ita colere, honorare et amare Mariam, ut aliquando merearis inter ferventissimos ejus servulos adnumerari.

III^um^ Punctum. — **Fructus.**

Ut contemplatio hujus jucundissimi mysterii practica sit, cum magno Mariæ servo, sequentia meditare.

1° Nascitur Maria *Deo* ; ut nimirum ipsi serviat, ut ipsum amet, ut Mater Dei fiat, ut altissimos fines, propter quos Deus homo factus est, sua ex parte promoveat.

Vide quam fideliter, quam perfecte et quanto cum amore Maria exspectationi Dei sui responderit. — Utinam idem de te dici posset, o sacerdos ! Quam longe abes ab altissimo fine propter quem Deus te nasci voluit ! Incipe tandem Deo vivere ; dole ja-

turam temporis, a te hactenus tam nale collocati, dum aliis omnibus, præerquam Deo, serviisti.

2° Nascitur Maria *nobis;* nempe ut it mediatrix, advocata et mater notra. Itaque, secundum Deum, fiduciam mnem collocemus in Matre Dei. Feices nos si Mariæ patrocinio fruamur; ruemur autem, si ad ipsius præsidium confugiamus. Benigna est, potens est, et nos amat ut nulla mater alia filios etiam carissimos amavit.

3° Nascitur Maria *sibi ipsi;* videlicet ut sanctitatis, meritorum et gloriæ hesauros sibi comparet æternos. Admirabiliter huic fini suæ nativitatis respondit Maria, adeo ut tantos ac ales sibi per vitam acquisiverit thesauros, ut sanctus Epiphanius eos dixerit *immensos*, sanctus Augustinus *ineffabiles*, et Dionysius Carthusianus *prope infinitos*. Merito igitur Angeli et omnes cœli habitatores cum incredibili lætitia in æternum clamabunt: Ave, Maria, *gratia plena!* Et nos, o Maria, non cessabimus idem tibi conclamare e medio hujus, in qua commoramur,

vallis lacrymarum : Ave Maria, *gratia plena.* Fac, o benignissima Mater, ut præsertim te in comparando nobis gratiam, fideliter imitemur. Tu nata es *in statu gratiæ:* ego in statu gratiæ non sum natus ; sed mea voluntas est in statu gratiæ moriendi. Sed timendum est ne moriar extra gratiam, si extra gratiam vixerim. Volo igitur voluntate vera, virili et constanti in statu gratiæ vitam transigere. Volo ad exemplum tuum, o Maria, ita laborare ad gloriam Deo procurandam et ad promovendam salutem animarum, ut in me gratia in dies augeatur, ita ut in fine vitæ angelus meus aliqua ratione me cum veritate salutare possit, ut Gabriel salutavit Mariam : Ave, gratia plene !

« Salve, Virga Jesse, florida et fru-
« ctifera, Maria Virgo beatissima, de
« qua unicus ille et singularis flos et
« fructus prodiit, unde virtutum spiri-
« tualium germen erupit ; flos suavis-
« simus, emittens odorem ; fructus
« sapidissimus, immittens dulcorem ;
« flos cujus bonitas expellit mœstitiam ;

« fructus cujus satietas plenam dat « lætitiam. Benedicta virga de radice « Jesse, benedictus et flos, qui de tali « radice ascendit. Benedicta arbor, « benedictus et arboris fructus ! Tuo « ergo me flore recrea, tuo fructu ab « omni miseria me libera, Virgo Maria, « in æternum benedicta. Amen. » (Lud. Sax.)

EXAMEN.

Circa molestias sacerdotales.

Vas electionis est mihi iste !... Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. (Act., IX, 15, 16.)

Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. (Philipp., I, 29.)

1° Cum in hac vita necesse omnino sit pati ; et alii quidem patiantur ut *malefici*, digna factis recipientes, alii ut *belluæ* et *jumenta*, quibus non est intellectus, alii *in mundi gratiam* pro modica præbenda, quam sperant ; alii *ex tristi necessitate*, sub cujus pondere ingemiscunt : inter quos ex illis ego numerandus sum ?

2° Quomodo patior ea quæ patienda occurrunt mihi *ex officio ?*

a) Cum somnum abrumpere debui, ut ad sacramenta moribundo administranda festinarem, nonne, si forte convaluit æger, aut periculum minus propinquum videtur, *irascor* vocantibus, quod inutilem molestiam facesserint ? Quid, si *hæc impatientia* deterreat alios, ut in simili casu vocare non audeant ? Si quis *per meam inertiam* ultimis subsidiis caruerit ? Si ad inferos abierit, morte æterna mortuus? Si *sero adrepens*, audiam querulam vocem : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, scilicet sine sacramentis !

b) Necesse est casas pauperum subire, haurire naribus morborum fœtores, contagionum pericula contemnere, victimam caritatis erga proximum fieri : an ad hæc libenter me accingo ? Et, si refugio, quo jure de *Christi spiritu* mihi glorior ?

c) Necesse est docere ignorantes, dubitantibus recte consulere, consolari mœstos, errantes corrigere : egone sic conversor cum meis, uti Christus inter *indociles* piscatores, et *ingratos* discipulos ? Didicine a tanto exemplo esse *mitis* et *humilis* corde ? Quid de *mea mansuetudine* cathedra, quid sacrum tribunal, quid catecheses, scholæ, hospitalia, egeni, ægroti loquuntur ?

3° Quomodo patior quæ patienda occurrunt *propter officium ?*

a) Necesse est fatigari et diu noctuque

pro animarum commodis uri, vigilare, studere, laborare, angi, impendi et superimpendi, etiam cum virium et sanitatis detrimento : an talibus me trado libenter ? Quoties sudavi pro gregis bono ? Nonne forsan leve incommodum sufficit, ut conceptus fervor frigescat, quem *aquæ multæ* non debuissent exstinguere ?

b) Necesse est pugnare contra pravos abusus, ut aboleantur, aut non introducantur, atque ita multorum iras incurrere, ferre odia, injurias devorare : an his æquo animo sustinendis me parem exhibeo ? An non forsan ego ad publica scandala turpiter conniveo ? An magistratuum somnolentiam excito ? An non per me lenocinia, vestium lascivia, chorearum petulantia, conventiculorum periculosa licentia impune grassantur ? Qua cura libris et foliis noxiis me oppono ? Ecce, tempestatum vicissitudines, difficultates viarum, timor hominum, convicia, contumeliæ, angustia, persecutio, gladius non poterant apostolum Paulum *separare a caritate Christi*, et ab *exsecutione officii* deterrere : an idem de me dici posset ? An non minima molestia sufficit, ut ab obligatione me eximam ?

4° Quomodo patior quæ patienda occurrunt *circa officium ?*

Circa officium alia se movent tædia.

a) *A domesticis*, quorum jam petulantia,

jam inertia, jam perfidia castiganda est: quem correctionis *modum* adhibeo?

b) A loci toparchis, quorum jam superbia nimiam exigit submissionem, jam invidia aut avaritia lites intentat: quam dextere inimicitias declino? Quibus mediis amicitiam colo, sæpe ad efficaciam consiliorum mihi necessariam?

c) A curis œconomicæ, cui prospicere, cujus jura tueri teneor: num sic invigilo, ut neque negligam, neque me totum ea absorberi sinam?

d) A superioribus, quorum monita atque decreta reverenter audire et sedulo exsequi meum est: qua patientia correctionem admitto? Qua diligentia obedio?

e) A subditis, quorum rusticitas et contumacia non raro in audaciam non tolerandam degenerat: num causas indago? Num principiis obsto? Quibus artibus frango?

f) A peregrinis et vagis, quorum importuna mendicitas plerumque impudentiam comitem habet: quibus verbis excipio? Quibus consiliis, quo auxilio placo?

O Domine, *propter te mortificabor* in posterum tota die, tota hebdomada, totis annis! *Propter te* omnis labor levis, omnes molestiæ suaves, omnes ærumnæ amœnæ, omnis dolor dulcis, mors ipsa in votis erit. Qui pro me mortuus est, illi vivam, illi moriar. Amen.

RECOLLECTIO XI.

CONSIDERATIO.

De Purificatione B. M. V.

Celebrat Ecclesia festum Purificationis B. M. V., grande offerens pietati fidelium mysterium, et ingentem exhibens contemplationis materiam.

Ex hac tanta materia assumemus pro præsenti recollectione id quod ad bonum spirituale sacerdotum magis aliquid conferre videatur.

Merito quis hoc Purificationis mysterium *mysterium oblationum* vocaverit; multiplex enim in illa die oblatio Deo facta est, et in hac oblatione triplicem possumus distinguere gradum.

Primus gradus est facere Deo oblationem *sensuum suorum.*

Secundus gradus est facere Deo oblationem *vitæ suæ.*

Tertius gradus est facere Deo oblationem *sui ipsius.*

Primi gradus formam exhibet sancta illa vidua, Anna, de qua dicitur quod

non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. (Luc., II.)

Secundi gradus formam exhibet sanctus senex Simeon, qui legitur dixisse: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.* (Luc., II.)

Tertii gradus formam exhibet Beatissima Virgo Maria cum Filio suo, qui in hoc mysterio intelliguntur se totos obtulisse Dei beneplacito, pro gloria Dei et pro salute mundi.

Et hæc triplex oblatio, Deo facta, fuit absoluto numero *perfecta*. Ad perfectam enim oblationem requiritur ut facta fuerit *serio, generose, affectuose* et *irrevocabiliter*.

Talis fuit oblatio sanctæ Annæ; nam, non temere, non inconsiderate, sed maturo consilio et cum plena voluntate statuit pro amore Dei et pro sua sanctificatione relinquere illecebras hujus mundi et, *plene mortificatis sensibus*, Deo suo famulari in jejuniis et obsecrationibus die ac nocte, et hoc fecit, et fecit sine ulla limitatione, et fecit

usque ad annum ætatis octogesimum quartum, ut testatur Evangelista.

Talis fuit etiam oblatio sancti Simeonis ; nam non homini, sed *Deo*, proinde valde serio, confitetur se in *pace*, id est *libenter*, id est *generosissime* ex hac vita migrare : vidit enim, quod unice in hac vita cupiebat, oculis suis *Salutare* Dei, *lumen ad revelationem gentium* et *gloriam plebis suæ*, scilicet *Christum Dominum*.

Perfectissima profecto fuit oblatio Jesu et Mariæ, siquidem non verbo seu affectu tantum, obtulit Maria Deo Filium suum, thesaurum suum, quidquid possidebat carissimum, pretiosissimum, sed *effectu* : et ipse Jesus, per manus benedictæ Matris suæ et per manus sacerdotis semetipsum obtulit Patri suo *in victimam* pro salute hominum immolandam, et nunquam deinceps ex sui ipsius oblatione plenissima visus est aliquid demere, sed ut statuerat ab initio, sivit se in cruce mactari.

Habemus sane quod imitemur. Utinam cum sancta illa vidua offeramus Deo sacrificium *sensuum nostrorum !*

Utinam cum S. Simeone offeramus Deo sacrificium *vitæ nostræ!* Utinam cum Maria et cum Jesu offeramus Deo sacrificium *nostri ipsorum!*

Sed ut hæc nostra triplex oblatio a Deo accipiatur, necesse est ut Deo *digna sit.* Digna erit, si *perfecta* sit; ut autem perfecta sit, oportet ut sit *serio* facta, cum *amore generoso* et cum *perseverantia.*

I. In primis offeramus Deo sacrificium *sensuum nostrorum* per voluntariam *mortificationem.*

a) Serio est hæc nostra oblatio, si sensibus nostris subtrahamus *illicita*, illicita sive lege divina, sive lege diocœsana vel religiosa. Serio igitur suos offert sensus Deo, qui negat *oculis* suis illicita; qui negat *linguæ* illicita; qui negat *tactui* illicita; qui illicita negat *palato.*

b) Generosa erit nostra oblatio, si negemus sensibus nostris etiam quæ sunt *licita*, sed ad vires conservandas et ad valetudinem tuendam non necessaria. Quod quidem fiet, *modestia oculorum*, incessus et gestuum *gravitate*, et

prudenti mortificationis corporalis usu.

c) Affectuosa erit nostra sensuum oblatio, si omnia, quæ modo diximus, fiant sine tristitia, sed *corde dilatato* et *hilari vultu. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Magnum habet apud Deum *meritum* talis oblatio, et valde adjuvat sacerdotem ad solidos faciendos in via sanctitatis *progressus.* Sed, quod sane spernendum non est, erit hæc seria, generosa, affectuosa sensuum mortificatio miræ apud proximum *ædificationis:* venerantur enim fideles sacerdotem *modestum, gravitate nobilem* atque *mortificatum,* dum e contrario facile offenduntur sacerdotis *levitate* et sensuum *effrenata licentia.*

II. Offeramus Deo sacrificium *vitæ,* nos totos tradendo sanctæ nostræ vocationis operibus, et permittendo nos manibus Superiorum nostrorum, ut disponant libere de nobis ad gloriam Dei et ad salutem animarum.

a) Hæc oblatio *seria* erit, si in operando non quæramus commoda, si non fugiamus labores, si non conqueramur de nimia occupatione, de exiguitate

remunerationis, de effectu paupertatis.

b) *Generosa* erit, si non timeamus laborare usque ad fatigationem, et usque ad virium exstinctionem.

c) *Affectuosa* erit, si aliqua laborantes infirmitate, vel morbo aliquo tabescentes, ex toto corde Deo agamus gratias et cum S. Francisco Xaverio sincere dicamus . *Amplius, Domine, amplius :* et cum S. Augustino : *Hic ure, hic seca, hic non parcas, dummodo in æternum parcas.*

Sine ullo dubio generosa erit et affectuosa nostra vitæ oblatio, si morti proximi, læto animo Judicem nostrum excipiamus.

III. Offeramus Deo sacrificium *nostri ipsorum*, per plenam et absolutam nostri ipsorum *abnegationem.*

a) *Seria* erit hæc nostri ipsorum oblatio, si in nulla re quæramus nosmetipsos, nostram voluntatem, nostrum judicium, nostra commoda, nostram consolationem, sed unice voluntatem Dei, beneplacitum Dei, Dei gloriam, ita ut nihil velimus nisi id quod vult, et quamdiu vult.

b) *Generosa* autem erit hæc nostra oblatio, si ad implendam Dei voluntatem et ad fideliter fungendum munere nobis demandato, libenter abnegemus talenta nostra, nostras inclinationes, immo et utilitatem nostram propriam, juxta id quod dixit JESUS aliquando discipulis *suis* : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum... et sequatur me.*

c) *Affectuosa* erit, si in hoc statu abnegationis plenissime gaudeamus, immo et superabundemus gaudio in omni tribulatione nostra, ad exemplum divi Pauli.

Hæc de oblationibus nostris. Sed quid de *offerentium* remuneratione ? Mira et sublimia dicenda essent, sed brevitatis causâ cogimur ea non nisi leviter attingere.

1° Præmium sanctæ Annæ fuit vera libertas, imperturbabilis animi pax, magna et constans lætitia, et insatiabile rerum spiritualium desiderium. Summa autem remuneratio fuit cognitio Salvatoris ejusque divinæ Matris.

2° Præmium S. Simeonis fuit vita immaculata inter peccatores, intimum

cum Spiritu sancto commercium, singularis mentis illuminatio, ardens Salvatoris desiderium, et super omnia, admissio, ut ita dicam, ad consilia Dei, adeo ut, quæ futura erant de JESU, splendida luce cognoverit, eo quidem momento quo, inter ineffabiles delicias, Eum brachiis suis stringebat, suavissimeque osculabatur.

O sacerdos, talia te manent præmia, si fideliter sanctæ Annæ et sancti Simeonis curaveris premere vestigia.

Sed quænam fuit tua, o JESU, a Patre remuneratio ? Quænam tua, o Maria ? O mysterium altissimum ! Remuneratio tua, JESU, fuit *contradictio* hominum ; et tua, Maria, *gladius doloris. Positus est hic in signum, cui contradicetur*, ait S. Simeon, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Felicem nimis dixero sacerdotem, qui meruerit talem ac tantam accipere pro laboribus suis et sacrificiis remunerationem.

EXAMEN.

Circa amorem proprium.

S. Basilius dicit *amorem proprium* esse amorem *sui ipsius*, quo quis unice studet suis commodis, nulla vel vix ulla habita ratione divinæ gloriæ vel alterius finis honesti. Est veluti *cardo*, in quo omnis respublica interior vertitur et movetur, ita ut homo amore proprio laborans, omnia desideria omnesque cogitationes reflectat in semet-ipsum.

Cum magna veritate aliquis scripsit amorem proprium esse quasi *idololatriam*, dum homo amoris proprii servus *seipsum* pro idolo statuit, cui unice serviat. Inhiat *pulchris*, ut pascat *visum ; curiosis*, ut mulceat *auditum ; dulcibus*, ut oblectet *gustum ; suavibus*, ut recreet *odoratum ; mollibus*, ut inescet *tactum; laudibus*, ut referat *plausum; dignitatibus*, ut *honorem reportet*. Verbo in omnibus, quæ agit, quin et in *virtutum adeptione*, *orationis dono*, *lacrymis solatii*, non Deo placere, sed seipsum et commoda sua quærit.

Affirmat S. Gregorius Magnus (Hom. 4 in Ezech.) amorem proprium vehementer « oculum cordis claudere. » Quo facto in omnia ista vitia præcipitat, quæ recenset Apostolus (II Tim., III, 2,): cupiditatem, elationem, superbiam, inobedientiam, inconti-

nentiam, proterviam, tumorem, et voluptatum amorem.

Seria igitur mente semetipsum penitus inspiciat sacerdos, ut videat, an non forsan in se sit aliquid ex his, quæ a magistris vitæ spiritualis, ut *signa amoris proprii* indicata leguntur :

1° Nimius sui *amor* et *æstimatio ?*

2° Desiderium et amor *laudis ?*

3° Timor contemptus et vilipensionis ?

4° Erubescentia ob defectus naturales ?

5° Sollicita occultatio defectuum et vitiorum ?

6° *Nimia cura* poliendi et perficiendi ea quæ visuri sunt homines, et *negligentia* in iis quæ visurus et probaturus est Deus ?

7° Immoderatus amor bonorum temporalium et voluptatum non necessariarum ?

8° Desiderium excellentiæ et honoris super alios ?

9° Inordinatus amor propinquorum et amicorum ?

10° Inordinatus amor consolationum spiritualium ?

Fac me, dulcissime Domine, amare Te, et desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum, et terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam. (Meditationes sub nomine S. August., cap. XXXV)

Aufer a me, Domine, amorem proprium, ut Te solum toto corde diligere valeam. Amen.

RECOLLECTIO XII.

MEDITATIO.

De divina Maternitate B. M. V.

1um Præl. Mente conspiciamus Augustissimam Matrem Dei in splendido sedentem throno, unde misericordissimos suos oculos in nos servulos suos conjicit.

2um Præl. Petamus a sanctissima Trinitate gratiam cognoscendi et pro viribus prædicandi ineffabilem celsitatem illius quam Pater sibi elegit in *Filiam*, Filius in *Matrem*, Spiritus sanctus in *Sponsam*.

Ad contemplandam Beatissimæ Virginis *Maternitatem* divinam, sufficeret aperire sanctorum Patrum scripta, quæ magnificis referta sunt Maternitatis Mariæ encomiis. Nos pro præsenti recollectione contenti erimus duo considerare: 1° Divinæ Maternitatis *excellentiam*; 2° ejusdem Maternitatis *fundamentum*.

I^um^ PUNCTUM. — **Maternitatis divinæ excellentia.**

1° Maternitatis B. M. V. dignitas tanta est, ut eam neque Angelorum intellectus attingere valeat. Hinc Prophetæ mirativa exclamatio : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Cant., VIII, 5.)

2° Tanta est hæc dignitas ut ipsa Maria illam non posset verbis æquare; testantibus passim SS. Patribus, dum audacter pronuntiant « quod nec ipsa plene explicare potuit, quod capere potuit. »

3° Tanta est illius Maternitatis sublimitas, ut non dubitaverit scribere S. Bonaventura *in Speculo de laudibus B. V.* « Deum qui potuisset terram facere majorem et majus cœlum, non potuisse facere Matrem Matre Dei majorem. »

4° Immo tanta est Maternitatis Mariæ excellentia, ut nobis liceat, sine ullâ exaggerationis suspicione, eam dicere *infinitam.* « Humanitas Christi, ait S. Thomas, ex hoc quod est unita Deo, et Beata Virgo, ex hoc quod est Mater

Dei, *habent quamdam dignitatem infinitam* ex Bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis. » (P. I, q. 25, a. 6, ad 4.)

5° Audeamus et altius mente ascendere, asserentes cum Cajetano, Mariam « fines Deitatis propria operatione naturali attigisse, dum *Deum* concepit, peperit, genuit, et lacte proprio pavit. » Et hoc quidem quadrat cum eo quod docet S. Thomas, scilicet : *Mariam habere specialem affinitatem ad Deum, in quantum est Mater Dei.* (22ᵃᵉ, q. 103, a. 4.) Et re quidem vera, paternitas Dei Patris, et Maternitas Virginis Matris tantam habent inter se similitudinem, ita ad se invicem appropinquant, ita inter se conjunguntur, ut altera alteram attingere videatur, utque naturaliter unus idemque communis Dei Patris et Virginis sit Filius, ut ait S. Anselmus, *De conceptu virginali*, c. XVIII. Merito igitur exclamamus cum divo Paulo : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* (Rom., XI, 33.) O ineffabilis magnitudo Matris Filii Dei !

6° Patet et Maternitatis divinæ excellentia ex eo quod Virgo Deipara habebat jus et auctoritatem maternam in Christum, uti habent aliæ matres in suos filios, quos genuerunt, immo plus quam aliæ matres, ait Corn. a Lap., quia ipsa magis fuit mater Christi, quam aliæ matres suorum filiorum. Unde S. Bernardus admirans exclamat; « Utrinque stupor, utrinque miraculum : et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. » (Hom. I super *Missus est.*)

7° Patet etiam ex eo quod ex dignitate Maternitatis Dei sequuntur omnia dona et privilegia Beatæ Virgini a Deo præ omnibus hominibus et Angelis concessa. Audiatur eximius Beatissimæ Virginis laudator, Georgius Metropolita Nicomediensis : « Habes, ut mater... insuperabilem potentiam, habes vim inexpugnabilem... Nihil resistit tuæ potentiæ, nihil repugnat tuæ virtuti; cedunt omnia jussioni tuæ ; universa morem gerunt præcipienti ; imperanti omnia serviunt. Te

Filius tuus cœlis celsiorem, ac universis præposuit creatis ; tuæque illi prælationi, ex iis quæ mirabiliter operatur, fidem adstruit. Nullus tibi labor ut hæc consequaris; nullo pro his medio Deum Creatorem alloqueris ; placet ei petitio; intercessio delectat ; non recusat implere ; quippe suam ipse tuam existimat gloriam ; eaque, tamquam Filius, exsultans, postulata ceu debitor implet. » (Migne, P. G., tom. C., col. 1439.)

Igitur, exhortante Matre Ecclesia, *Maternitatem Beatæ Mariæ cum gaudio celebremus ; ex Ea enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.*

IIum Punctum — Maternitatis divinæ fundamentum.

Juxta doctrinam sanctorum Patrum, supponit Maternitas divina maximam puritatem et humilitatem profundissimam.

1° *Maxima puritas.* « Decens erat, ait S. Anselmus, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. » *(De conceptu virginali.)*

Et certe hac nituit puritate Maria. Nonne docet fides Mariam singulari privilegio in sua conceptione fuisse immaculatam ? Nonne Ecclesia, quam dirigit Spiritus sanctus, Mariæ applicat ea quæ dicunt sanctæ Litteræ de Sapientia æterna et increata ? *Dominus possedit me in initio viarum suarum. — Ab æterno ordinata sum. — Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. — Ante colles ego parturiebar* (Prov., VIII, 22-25). — *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* (Eccli., XXIV, 5.)— *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* (Sap., VII, 26.)

O quantam hæc innuunt puritatem ! Nonne divinam, nonne aliquomodo infinitam ? Et de hoc gaudebo, optima mater ; et de hoc ego, filiolus tuus, pro te sanctissimæ Trinitati gratias agere gestio. O quis mihi det ut ego, pauperculus sacerdos, spiritum mihi comparem adeo purum atque immaculatum, ut puritas mea pro modulo respondere videatur meæ dignitati sacerdotali, quæ et ipsa a sanctis Pa-

tribus immensa nuncupatur, infinita, divina !

Profecto sanguineis lacrymis deflere deberet sacerdos vel minimam nævam, qua animam suam sacerdotalem contaminasset. O Maria, obtine mihi et omnibus fratribus meis sacerdotibus tantam animi puritatem, ut dignius in dies et securius ad altare ascendamus, et majore cum lætitia in hospitium cordis recipiamus divinum hospitem nostrum, ejusque misericordissima præsentia utamur jucundius et fructuosius, quam antea solebamus.

2° *Profundissima humilitas.* Certe gratissima fuit oculis Dei admirabilis puritas Mariæ : attamen per humilitatem facta est Dei Mater, ut perpulchre enuntiavit sanctus Bernardus dicens : « Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. » (Sermo I in *Missus.* v.) Et sanctus Bernardinus : « Sicut nulla, post Filium Dei, creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ. Nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc

sæculo est datum, tantum se humiliare et annihilare sub volito Majestatis divinæ, sicut ipsi Virgini dilectæ. » (Serm. de *Conc. Virg.*, IX, 1.)

Hæc est Mariæ humilitas illa, quam sancti Patres et Scripturarum interpretes certatim extulerunt et magnifice dilaudaverunt. Considera, inquiunt, humilitatem sanctæ Virginis. Electa est ut sit Mater Dei, et se nihilominus ancillam Domini appellat. Quantumvis magnum et inopinatum sit promissum, non propterea pluris se facit. Et ut rarissima dignitas Ei deferatur, aliud privilegium aut prærogativam non arrogat, quam ut ancillam se æstimet, quæ nihil aliud faciat quam quod ab hero fuerit imperatum, quæque id facere obligetur. Hic est sensus humilitatis, quem cantico suo Domina nostra aperuit, cum medullitus decantaret : *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Quasi dicere vellet: « Deus æternus oculos suæ misericordiæ conjecit in mancipium quoddam suum inanissimum et in

miserabilem ancillam ; visum est ei pro sua clementia respicere tam abjectæ conditionis, tam exigui pretii creaturam, ut eam tot dotibus et privilegiis dotaret. Quod ei placuit me respicere, quod expedire ipsi visum est me extollere, id omne simpliciter ab ipsius gratia profectum est, a mera ejus misericordia et infinita liberalitate. »

Quam longe distamus, o Maria, ab hac tua animæ demissione ! Utique et nostram respexit Dominus humilitatem, vilitatem nempe nostram, abjectionem et imbecillitatem, qui *suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat* (I Reg., II, 8), per sacerdotii dignitatem. Et superbio ! et magnifice incedo, et fratres humilioris conditionis arroganti oculo aspicio ! Et magna lingua subditis jussa impono ! Et minima honoris denegatione conturbor ! Et alto vultu in contemptorem incandesco ! Non sic tu, o Maria, sed cum te derepente in tam sublimis honoris throno collocatam conspiceres,

nihil tamen magnificentius de te sentiebas neque te vel flocco pluris quam antea æstimabas ; neque te ulli creaturæ anteferre contendebas, sed te ad infimum usque gradum demittebas. O Mater amantissima, doceas sacerdotes Filii tui demisse de se sentire, et quo altiorem adepti sunt dignitatem, se modestiores omnibus ostendere et verbis et factis. Utinam nunquam obliviscantur exaltandum esse qui se humiliaverit et humiliandum qui se exaltaverit. Amen.

EXAMEN.

Circa qualitatem viri Dei.

I. An es *vir*, o Saderdos ?

1° An es vir ille quem descripsit Cassiodorus (Super Ps. 1, 1) : « Vir vocatur a viribus, qui nescit tolerando deficere, aut in prosperis aliqua se elatione jactare ; sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus ? »

2° An es ille vir de quo dixit S. Ambrosius (Lib. 2 Offic., c. 14) : « Quid præcelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemptum habeat pecuniarum, et velut ex arce

quadam despiciat hominum cupiditates ?»

3° An es ille vir, de quo scripsit S. Gregorius Magnus : « Viri sunt qui perfectis gressibus, per viam Dei, non fluxe et enerviter, sed viriliter currunt. » Lib. XVI Mor., c. 55.)

4° An es ille vir secundum Christum, de quo dixit S. Greg. Naz. : « Si vir es secundum Christum, sensus habeas exercitatos, tibique lumen splendeat cognitionis, et loquere sapientiam quæ profertur inter perfectos. » (Orat. 20 de Mod)

« Tu quoque, si non terræ affixus fueris, sed angelus efficiaris, celeriter in cœlum et domum paternam conscendes. » (Super Psalmum CXIII.)

II. An es *vir Dei*, o Sacerdos ?

Quis dicitur vir Dei ?

1° Non sacerdos levis *mente*, *ore*, tota *agendi* ratione. — Non sacerdos *familiaris* cum laicis, præsertim cum puellis et cum quacumque muliere. — Non sacerdos *dissipatus*, *carens modestia*, *gravitate*, *decoro*. — Non sacerdos *verbosus*, et adhuc minus sacerdos *amans scurrilia*. An tu forsan ex aliqua parte inter tales numerandus ?

2° *Vir Dei* dicitur sacerdos cujus *cogitationes* sunt dignæ Deo ; cujus *judicia* sunt recta et Deo placentia ; cujus *verba* sunt rationabilia et verba virtutis ; cujus *opera* bona sunt, honesta et nata proximum ædi-

ficare. An ad hanc classem putas te pertinere ?

3° Vir Dei est, qui per omnia sinit se duci *spiritu* fidei ; qui proinde *oculo fidei* assuevit aspicere suos *superiores*... *confratres*... *subditos*... pauperes... parvulos... *ægrotantes* et *moribundos*... immo et *adversarios* et *inimicos*... et agit consequenter. An talis es ?

4° An *vir Dei* et *interius*, et *exterius*, *semper*, ubique ? An vir Dei in *ecclesia ?* in *altari ?* in *sacristia ?* in *confessionali ?* in *cathedra ?* in *epistolarum scriptione ?* in *via ?* apud *laicos ?*

Fac, quæso, o Maria, ut ego tandem aliquando vir Dei efficiar, alter filius tantæ Matris !

RECOLLECTIO XIII.

MEDITATIO.

Maria, Auxilium christianorum.

1um Præl. In mentem revocemus quasdam victorias illustriores, quas christiani, ope Mariæ, de Turcis retulerunt.

2um Præl. Petamus a Christo Dominо magnam erga B. M. V. fiduciam.

Maria exstitit auxilium christianorum, quibuscum hic in terris vivebat. Post vero suam mortem non destitit, usque ad nostra tempora, christianis in omni ipsorum necessitate auxiliari, et spes est nostra firmissima eam in præsentibus periculis, quæ majora sunt quam unquam fuere, nostro auxilio minime defuturam. Quapropter, cum ingenti fiducia et cum sancta lætitia triplicem consideremus modum, quo Maria solet suis filiis opitulari. Opitulatur eis *consilio*, opitulatur *exemplo*, opitulatur *auxilio*.

I^um^ PUNCTUM. — **Opitulatur consilio.**

Ideo Christus Matrem sibi voluit in terris esse superstitem, ut Apostoli et novelli Fideles ex ipsa perfectius condiscerent arcana Religionis, veritates fidei, cæremonias in cultu divino et administratione sacramentorum adhibendas, denique virtutes rite exercendas. Consulebatur Virgo tamquam vivum oraculum, tamquam sedes sapientiæ. Et merito quidem Maria, maxime dum vivebat, intendebat studio orationis et contemplationis; cum autem non tantum abessent quatuor impedimenta, culpa mordens, cura pungens, sensus egens, et irruentia phantasmata imaginum corporearum, quæ S. Bernardus recenset, sed haberet fidem vivam mysteriorum, et sapientia singulari et reliquis Spiritus sancti eximie instructa esset donis, non poterat non acquisivisse, ex consortio illo intimo cum Sanctissima Trinitate, thesaurum inexhaustum scientiarum.

Præterea, ut apertis verbis testatur sanctus Lucas, Maria conservabat in

scrinio pectoris sui *omnia* verba quæ audiverat de Filio suo; conservabat et memoriæ commendabat, ut postea, ipsa docente et narrante, scriberentur et in universo mundo prædicarentur. Ab ipsa igitur Apostoli plurima de gestis Domini didicerunt, maxime ea quæ gessit antequam eos vocaret, et ad ipsam omnes quasi ad Magistram recurrebant. Et quia sanctas Scripturas legerat, et prophetias sciebat, *conferebat* quæ secum erant acta de Domino, cum his quæ noverat a prophetis de eo, attendens prudenter quomodo prophetiæ adimplerentur in Filio suo. Et ista collatio non solum utilissima esse debebat Ecclesiæ, sed Mariæ erat valde delectabilis. Legerat in Isaia: *Ecce virgo concipiet et pariet filium;* et videbat se Virginem et concepisse filium et peperisse. Legerat: *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui*, et videbat Dei et suum Filium inter hæc animalia vagientem in præsepio. Legerat: *Egredietur virga de radice Jesse*, et videbat se de stirpe David ortam et natam.

Legerat: *Nazaræus vocabitur puer iste;* et videbat se in Nazareth de Spiritu sancto concepisse. Legerat: *Et tu, Bethleem, terra Juda*, etc., et videbat se in Bethleem peperisse. Comparabat ergo verba prophetarum, quæ legerat, factis quæ ipsa audiebat et videbat, et in omnibus cernebat concordiam et habebat certa fidei argumenta. O quantum gaudere poterat, dum se Dei matrem agnoscebat!

Mirum igitur non est, Mariam, omnibus omnia factam, sapientibus et insipientibus copiosissima caritate se fecisse debitricem. Omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus acciperent universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam.

Recurramus igitur et nos sacerdotes ad hanc nobilissimam et sapientissimam Apostolorum Magistram. Consulamus et nos hanc Sedem sapientiæ in omnibus rebus dubiis nostris. Immo cum evangelica simplicitate rogemus optimam Matrem, ut in nostris meditatio-

nibus et contemplationibus ipsa dignetur mysteria dilecti Filii sui ita nobis explicare, ut exardescere sentiamus in animis nostris ignem ardentissimæ caritatis non solum erga Filium, sed etiam erga ipsius Matrem benedictam.

IIum PUNCTUM. — **Opitulatur exemplo.**

Quidquid in Maria gestum est, ait S. Hieronymus, *totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit.*

Hoc *speculum justitiæ* inspiciamus splendidissimum, ut intelligamus quales debeamus esse ut nos inter et divinam Matrem debita inveniatur similitudo.

1° *Puritas.*

Fuit *lilium inter spinas.* Quid purius Maria? Pura erat corpore, pura mente, pura corde, pura sermone, pura tota agendi ratione, speculum sine macula, Virgo virginum, tota pulchra et immaculata.

Qualis mater, tales sint oportet filii; contendamus igitur omnes alios superare puritate nostra. Simus et nos lilia inter spinas. Tot sunt spinæ, rara sunt

lilia. Utinam saltem sacerdotes, nullo excepto, inter ista lilia connumerentur! Quam libenter hæc sua lilia e tabernaculo suo aspiceret Jesus! *Pascitur inter lilia!* (Cant., II, 16.)

2° *Simplicitas.*

Non differt simplicitas a sinceritate, a rectitudine, et nascitur ex genuino spiritu fidei. O quam simplex Maria, quam recta, quam sincera erga Deum, erga parentes, erga sponsum, erga superiores quoscumque! Hinc jugis ei jucunditas, cum omnibus commercium deliciis plenum.

Qualis Mater, tales sint filii. Profecto jucundius esset nostrum cum omnibus commercium, si major esset nostra cum omnibus simplicitas. Unde lites, unde rancores, unde frequens mentium alienatio et animorum perturbatio, quæ vitam sacerdotis identidem videntur obnubilare? Nonne ex eo quod in rebus peragendis et in sermonibus nostris, non nitimur uti simplicitate, sed nescio qua ratione politica? Fac, Deus, ut sicut tibi ita et nobis displiceat hæc politica agendi et loquendi ratio. Nonne de

Te scriptum est: « Et cum simplicibus sermocinatio ejus ? » (Prov., III, 32.)

3° *Veritas.*

Veritatem Maria amabat, veritatem quærebat, et summopere abhorrebat ab omni falsitate, ab omni mendacio. Pro nulla re mundi vel levissimum mendacium dixisset.

Qualis Mater, tales sint filii. Quæramus igitur, et nos veritatem inveniemus. Abhorreamus et nos a falsitate, et nunquam ex ore nostro sacerdotali vel minimum elabatur mendacium. A multis miseriis liberabit nos Veritas, et sicut Mariæ ita nostram jucundabit vitam.

4° *Gratia.*

Plenam gratia salutavit eam Gabriel. Significat autem hæc vox, *gratia plena*, duo: 1° Beatam Virginem fuisse a Deo gratia donatam, idque plene et per excellentiam, super alios justos et sanctos; 2° per gratiam hanc mire placuisse Deo ejusque Angelis omnibus, ac in eorum oculis plane amabilem, speciosam et gratiosam fuisse, adeo ut eam Christus præ cæteris omnibus in Matrem suam eligeret.

Porro ita, o Beatissima Virgo, plena fuisti gratia, ut ei cooperando *strenue* et *assidue*, ea augeri pleniorque fieri merereris. Licet enim esses plena quoad præsentem capacitatem, ut haberes tantum gratiæ quantum capere poteras; tamen huic gratiæ *assidue* et *strenue per actus ferventes* cooperans, novum tibi parabas meritum, ac proinde novam capacitatem et dispositionem ad novam gratiam consequendam, idque assidue; proinde eo momento quo ultimam diem obiisti, ita gradus gratiæ adauxisti, ut in iis omnes homines et angelos simul sumptos superaveris. Quare tu, o Maria, unica gratior es Deo quam cæteri homines. Deus ergo plus amat te solam, quam totam Ecclesiam, i. e. quam omnes homines simul sumptos, et de hoc, o amabilissima Mater, tibi ex toto corde gratulari gestio.

Qualis Mater, tales sint filii. Sunt sacerdotes quorum præcipuum studium est augeri divitiis, et hæc est summa stultitia. Sunt quorum studium maximum est augeri fama, et hæc summa vanitas est. Sunt quorum unicum stu-

dium est augeri gratia, et hæc summa sapientia est. Etenim unus gratiæ gradus plus valet quam omnes mundi thesauri, quam omnis laus et gloria humana. Humili igitur et ferventi prece a Deo assidue petamus, ut augeat nos in dies, non divitiis, non dignitatibus, non humanis plausibus, sed *gratia*. Da mihi gratiam tuam, dicebat S. Ignatius, et dives sum satis. O si esset unica inter sacerdotes æmulatio et contentio de *gratia* et de *amicitia* Dei, cum veritate de cœlo ad omnes sacerdotes clamaret S. Petrus: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* (I Pet., II, 9.)

III^um^ PUNCTUM. — **Opitulatur auxilio.**

« Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, ait S. Bernardus, qui invocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. » Et re quidem vera, in publicis et privatis calamitatibus, in quacumque necessitate et ærumna, Maria commune afflictorum perfugium

erat. Noverant fideles magnæ Matri Dei nec *facultatem* deesse, nec *voluntatem* subveniendi omnibus patrocinio et intercessione.

Neque solum dum vivebat inter mortales, miseros et afflictos ardentissima sua caritate sublevabat universos ; sed post mortem usque ad nostra tempora exstitit auxilium christianorum, præsertim adversus Ecclesiæ hostes. Propterea merito dicitur *terribilis* ut castrorum acies ordinata (Cant., VI, 3.) Quomodo *terribilis* illa, de qua singulis diebus pronuntiat Ecclesia quod *sit vita, dulcedo et spes nostra ;* ad quam tanto cum affectu clamare non cessat, dicendo : *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria !* Terribilis est, non *suis*, sed *hostibus.* Hostes eam timeant ; est enim potentissima. Ipsa, ut docet Ecclesia, omnes hæreses pede suo immaculato protrivit. Ipsa, omni tempore, solemnioribus periculis, Ecclesiæ adfuit, et omnes præteritæ generationes nobis reliquerunt monumenta innumera quibus exhibere voluerunt animum gratum pro poten-

tissimo et efficacissimo ejus patrocinio.

Ut Maria, simus et nos terribiles *non nostris*, sed hostibus. Nostris debemus et nos esse vita, dulcedo, spes, sed *hostibus* contra *acies castrorum ordinata*. Debemus et nos conterere caput draconis infernalis *vita immaculata;* debemus debellare adversarios, ut Maria, veritate et amore. Sed nunquam nos ad prælia Domini accingamus, quin prius nos commendaverimus Mariæ. Plus nobis valebit Maria quam nostræ castrorum acies ordinatæ. Ipsa nobiscum laborabit, præliabitur et vincet. Nonne merito considerare possumus ea quæ mirabilia operatur cœlestis nostra Bellatrix, et in Gallia, et in Belgio, et in aliis regionibus multis, tamquam splendidum præludium ad proximum Ecclesiæ triumphum ? Faxit Deus ut spes nostra non confundatur ! Amen.

IV^um^ PUNCTUM. — **Conclusio.**

Oportet ut studeamus, exemplo S. Joannis, Virginem beatam in *Ma-*

trem habere, si ipsam volumus habere *adjutricem*. Cum enim sit triplex status hominis, nempe *in vita*, *in morte* et *post mortem*, ipsa in hoc triplici statu adjuvat *filios suos*, qui eam habent in matrem. Unde cantat Ecclesia:

Maria, mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Adjuvat ergo in vita; sed in vita quidam *sunt justi*, et ipsis impetrat perseverantem gratiam; ideo dicitur:

Maria, mater gratiæ,

scilicet datrix et conservatrix; alii sunt *peccatores*, et istis impetrat peccatorum veniam et Dei misericordiam; ideo subditur:

Mater misericordiæ.

Secundus status, scilicet *in morte*, est periculosus, quia hostes, qui sunt dæmones, ad morientes accedunt et si quod jus habent exquirunt; sed beata Virgo animam in morte protegit et hostes expellit; ideo subjungitur:

Tu nos ab hoste protege.

Tertius status, id est, *post mortem* et animæ egressum, similiter est periculosus, quia ibi sunt dæmones rugientes, animam devorare volentes : sed beata Virgo animas in morte suscipit et in cœlum deducit ; ideo subinfertur :

Et mortis hora suscipe.

(Ex Lud. Sax.)

EXAMEN.

Circa fiduciam erga B. V. M.

I. An invoco Mariam *fideliter ?* Fideliter eam invocabo, si firmiter in corde meo fixum sit fiduciæ fundamentum, quod quidem fundamentum desumitur ex consideratione eorum quæ Sancti de potentia et de bonitate Mariæ scripserunt. Quorum hic habe, sacerdos, summam.

« Maria *potest* nos juvare, est enim *Mater Dei.* Sicut cœlestis Pater Filio, ita Filius Matri dedit omnem potestatem in cœlo et in terra. JESUS est Mediator noster apud Patrem: Maria est Mediatrix apud Filium,Maria mitigat iram Filii sui. » Sicut pia

mater abscondit filium sub pallio, quando pater vult eum verberare ; ita Beatissima Virgo confugientes ad se, Christi justitiam formidantes... (Richardus.) Si olim Salomon matri suæ dixit : *Pete, mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam* (III Reg., 11) ; quanto magis Christus ad Matrem suam, quæ accedit ad thronum Dei, non solum rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. (S. Petrus Damianus ; Serm. 1 de Nativ. B. V.) Hæc est voluntas ejus qui nos omnia habere voluit per Mariam. (S. Bern.)

II. An invoco Mariam ut *filius ?* Sic eam invocabo, si mihi persuasa sint sequentia : Maria *vult* nos juvare, cum sit *Mater nostra.* « *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum ?* » (Isai., XLIX, 15.) Quomodo Maria oblivisceretur filiorum quos sub cruce genuit ? Diligit peccatores, quia sunt miserabiles ; quia sine his non esset Mater Dei. Quis desperet de salute, qui habet Matrem gratia plenam ?

« Citius cœlum cum terra perierit, quam tu, Maria, aliquem serio te invocantem, tua ope destituas. » (H. Suso, apud Blosium, *Consolatio pusillan.*, c. 35.)

« Nihil est æquale Mariæ ; nihil nisi Deus majus Maria. » (S. Anselmus, Orat. LII.)

III. An invoco Mariam *frequenter ?* An

mihi est in more nullam præterire diem, quin *sæpius* ipsam salutaverim? ipsius petiverim vel consilium, vel solatium, vel auxilium? An in omni necessitate, sive temporali, sive spirituali, tamquam filiolus ad benignissimam Matrem recurro? An cum omni simplicitate in sinum tenerrimæ Matris soleo deponere tristia mea et læta? An vivo in ipsius sanctissima familiaritate? O si major erga Mariam esset mea fiducia, jucundior esset vita mea, et in ipsius potentissima interventione innumera invenirem emolumenta ad implendas sanctissimas sacerdotii mei obligationes. O Maria, adjuva me semper! In te confido plenissime!

RECOLLECTIO XIV.

MEDITATIO.

De B. M. V. de Monte Carmelo.

1um Præl. In memoriam revocemus quomodo Beatissima Virgo Beato Simoni Anglico *insigne scapularis* præbuerit, quæque et quanta ei promiserit hoc insigne gerentibus *privilegia*.

2um Præl. Petamus ab optima Matre, ut dignetur nobis obtinere gratiam respondendi ipsius exspectationi.

1um Punctum. — Exspectatio.

Quid a sodalibus de monte Carmelo exspectat Beatissima Virgo ? Nonne *contemptum mundi ?* Porrigens enim sodalibus sacram Carmeli vestem, quæ ex panno vili et subnubilo colore confecta est, clamare videtur : « Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt ; *nam mundus transit et concupiscentia* ejus (I Jo, II, 15, 17). Ergo abhorrete ab omnibus quæ mun-

dus amat et amplectitur, et admittite et concupiscite totis viribus quidquid Christus, Filius meus, amavit et amplexus est. Proinde nolite, sicut mundani homines, ea quæ mundi sunt sequi, diligere et quærere, honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus suos edocet asseclas; sed satagite sequi, amare et ardenter exoptare quæ eis omnino contraria sunt: indui nimirum eadem veste ac insignibus JESU mei, pro ipsius amore ac reverentia; adeo ut, si sine offensione ulla divinæ Majestatis, et absque proximi peccato foret, velitis contumelias, falsa testimonia et injurias pati ac stulti haberi et existimari (nulla tamen ad id per vos data occasione), eo quod exoptatis Ei assimilari, ac imitari aliquomodo Creatorem et Dominum vestrum JESUM CHRISTUM, ejusque vestibus et insignibus indui. Quandoquidem illa ipse, propter majorem profectum vestrum spiritualem induit, vobisque exemplum dedit, ut in omnibus, divina gratia aspirante et me, Matre vestra, juvante, Eum imi-

tari et sequi, cum vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velitis. »

Vide, o homo Dei, o serve Mariæ, an hucusque huic piissimæ Matris tuæ exhortationi docilem præbueris aurem. Ecce exhortatur te ad fugienda quæ sunt mundi. Mundi autem sunt *divitiæ* ; mundi sunt *honores* ; mundi sunt *voluptates* ; mundi sunt *humana judicia* ; an hæc fugisti ?

1° An fugisti *divitias* ? Fugisti divitias si, habens alimenta et quibus tegaris, his contentus sis. Fugisti divitias, si permittente Deo ut aliquid in bonis tuis temporalibus damni passus fueris, minime te dejecto animo ostenderis, neque ullos questus de hoc protuleris, neque, propter hanc qualemcumque rerum terrestrium jacturam, remissiorem te in divino servitio præbueris. Fugisti divitias, si dum divitiæ tibi affluunt, monente Spiritu sancto, eis non cor apposueris, sed ex eis *larga manu* desumpseris ad promovenda pia opera, ad sublevandam pauperum egestatem, ad fidem per viros apostolicos inter infideles dilatandam, ad templa

Dei erigenda, reparanda, et re supellectili congrua exornanda.

2° An fugisti *honores*? Fugisti honores, si sedulo attenderis in tota tua agendi et loquendi ratione ad hæc verba, quibus Christus Dominus suos Apostolos allocutus est : *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos ; non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit servus vester.* (Matth., XX, 27.) Fugisti honores, si contentus munere quod a manu superioris accepisti, non nimium ad munera altiora adspiras, neque fratribus invideas, quos conspexeris te altius collocatos. Fugisti honores, si, existimans te apud Superiores datum oblivioni et aliquomodo despectui obnoxium, nihilominus officio tibi commisso fideliter defungaris. Fugisti profecto honores, si falso accusatus et indebito modo tractatus, sciveris uti, ad exemplum Jesu, *silentio triumphali.*

3° An fugisti *mundi voluptates* ?

Voluptates mundi fugisti, si, memor humilis habitus, quem de manu Beatissimæ Matris accepisti, non secundum carnem vixeris, sed monente Apostolo, *spiritu facta carnis mortificaveris.* Voluptates mundi fugisti, si nonnisi quasi necessitate coactus, partem habueris in conviviis lautioribus, in conventibus mere mundanis et tumultuosis, in ludo prolixius producto, in jocis et risu parum sacerdotem decentibus. Tandem fugisti mundi voluptates, si non abhorrueris ab operibus pœnitentiæ, necessitati et devotioni respondentibus. Si, divina Providentia mittente tibi morbos et corporis angustias, firmo animo eos sustuleris, et minime amiseris propter carnis vexationes, mentis serenitatem atque cordis lætitiam.

4° An superasti *humana judicia?* Hæc superasti, si dum plerique hominum trepidant timore *ubi non est timor*, et *timent eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, tu sodalis de Monte Carmelo, sine respectu humano, insignia Deiparæ induens

cum divo Paulo dixeris : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die* (I Cor., IV, 3). O sane judicia humana superasti, si, garrientibus fratribus levioris indolis et tuam pietatem filialem et simplicem irridentibus, cum Elcana dixeris : *Numquid non melior mihi*, Maria, *quam decem aut etiam millies millia hominum ?* (Cfr. I Reg., I, 8.)

II^um^ PUNCTUM. — **Remuneratio.**

Non sine sancta voluptate considerabis, o Sacerdos, tria insignia privilegia, quæ Beatissima Virgo sacra Carmeli veste indutis promisit.

PRIMUM PRIVILEGIUM. — *Præsens in omnibus vitæ tentationibus auxilium.* Certum quidem est, teste S. Bernardo, neminem in sæculi hujus maris procellis jactatum obrui fluctibus, modo respiciat stellam, vocet Mariam. Ipsa, furente tentationum tempestate, proprio quodam jure, velut in sinum suum receptos proteget, fovebitque quos suis viderit insignibus indutos. Merito dicent: *Vincula Mariæ alligatura salutis.*

(Eccli., VI, 31.) Quare vincula, ait quidam, nisi quia servos ligat, ne discurrant per campos licentiæ ? Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, o Maria ; te sustinente non corruimus, te protegente non metuimus, te duce non fatigamur, et securi pervenimus.

SECUNDUM PRIVILEGIUM. — *In ultimo vitæ luctamine victoria.* Quam merito pius Carmeli sodalis hoc exaltat privilegium, dicens : Sodalis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ipsi quasi speciali nexu obstrictus, sub umbra alarum ejus in pace requiescit ; et putas fore ut filium in sinu tantæ et tam piæ Matris recumbentem rapiat anguis ille tartareus, cujus ipsa confregit caput ? Jure igitur unoque ore exclamant sancti Patres : *Æternum væ non sentiet, pro quo vel tenue oraverit Maria.* (S. Petr. Damian.) *Sicut enim o Beatissima, omnis a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat, ita omnis ad te conversus et a te respectus impossibile est ut pereat.* (S. Anselmus, Orat. LII.) Quid plura ? Nonne et ipsam audimus Deiparam, dum hoc salutis chirogra-

phum Beato Simoni porrigit, sic clamantem : *In quo quis moriens æternum non patietur incendium ?*

Tertium privilegium. — *In igne Purgatorii juvamen et solatium.* O Sacerdos, in memoriam evoca quæ de Purgatorii pœnis apud sanctos Patres legisti. Memento eas esse pœnas gravissimas, acerbissimas, quantas, secundum sententiam B. Augustini, nulli passi sunt Martyres pro justitia, vel impii pro flagitiis. Cogita confractiones ossium, membra contusa, cutem detractam, bovem Phalaridis et quidquid tormentorum cuiquam illatum est: gravior est pœna quæ te expectat! Christi quidem Domini passio superavit cæterorum omnium viventium dolores ; sed graviores sunt illi Purgatorii cruciatus, ad quos adeo serena fronte et erecto animo tu festinas. Apostolus vocat eos nomine *ignis*, quo nihil in hac vita vehementius torquet et affligit. Malachias propheta Christum purgatorio igne animas mundantem, facit similem homini qui in ardentissima fornace conflat aurum atque argentum,

conflatumque colat, ne quid sordium ulla in parte restet. Si cogites igitur hominem nimio ardore liquefactum per minutissima coli foramina transmitti, intelliges gravissimos cruciatus a Propheta significari. Ast, et hoc, est gaudium nostrum, Maria est specialis Mater sodalium de Monte Carmelo, et quæ, quæso, Mater filios e flammis extrahere non studeat? Utique, ait S. Bernardinus, in regno Purgatorii dominium tenet Virgo Maria. Pie igitur cum Ecclesia *credamus Beatissimam Virginem filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam precesque paucas* eis præscriptas frequentarunt, *ac pro suis status ratione* castitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne Purgatorii expiantur, solari ac in cœlestem patriam obtentu suo quantocius efferre. (Lect. VI, Festi B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo.)

EXAMEN.

Circa tertium gradum humilitatis.

Minime me quis accusabit temeritatis, si mihi persuasum esse declaraverim lectores nostri libelli non solum esse pios sacerdotes, qui studeant acquirere æternam salutem, sed tantæ eos esse pietatis, ut non cessent ad ipsam sanctitatem aspirare. Quapropter jucundam ipsis navabo operam, si ea proposuero, quæ ad vitæ spiritualis apices attingere credantur, qualis est *tertius humilitatis gradus*. Hunc gradum eximius rerum spiritualium magister, S. Ignatius, in libello Exercitiorum spiritualium sic describit. « Tertia est humilitas perfectissima, scilicet, quando, ubi æqualis fuerit laus et gloria divinæ majestatis, ad imitandum magis Christum Dominum nostrum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias ; opprobria cum Christo pleno opprobriis quam honores ; et magis desidero æstimari insipiens et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam sapiens ac prudens in hoc mundo. » Ergo S. Ignatius nihil in hoc humilitatis gradu docet nisi *Jesum Christum et hunc crucifixum* (I Cor., II, 2), in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. (Coloss., II, 3.)

Hic tertius humilitatis gradus, qui certissimum erga JESUM CHRISTUM amorem in se complectitur, est medulla quædam et compendium totius viæ illuminativæ. Est thesaurus absconditus in agro, qui bene emitur, venditis omnibus quæ habemus. Est margarita illa, quam sapiens negotiator sibi comparat quantovis pretio.

Subjiciuntur hic oculis pii sacerdotis varii istius humilitatis actus, ad quos singulos serio considerandos non sine ingenti fructu plura instituet examina, ut intelligat quantum adhuc distet ab hoc pretiosissimo humilitatis gradu.

1. Verus humilis optat in omnibus videri minimus, abjectissimus, contemptissimus, exigui ingenii, nullius eruditionis, minimæque virtutis.

2. Gaudet si quando tamquam stirpe ignobilis, eloquentia destitutus, eruditione impolitus, sapientia, virtutum perfectione, cæterisque gratiæ aut naturæ dotibus male instructus contemnatur, quamvis interim hæc omnia eximia habeat aliosque iis longe præcellat.

3. Jucundum etiam humili est, ab aliis et irrideri : singularemque ex eo voluptatem capit, si quando intelligat haberi se stupidum, hebetem, insipientem, indoctum, negligique tamquam cui nulla sit in dicendo gratia, nulla in congressibus comitas, nullus

rerum gerendarum usus: eoque hujusmodi despicationes ei gratiores sunt, quo illustriora se a Deo naturæ ornamenta accepisse cognoscit.

4. Nec se ipse, nec sua unquam prædicat, eaque unde ipsi apud alios existimatio posset accedere, ut sunt procerum amicitiæ, affinitates, majorum nobilitas, litteræ, ingenium, ac ejusmodi naturæ phaleræ, supprimere magis quam jactare gaudet, quamvis et ab his merito laudari posset.

5. Rubore ac mœrore perfunditur, cum se suaque laudari ac magnifieri advertit, quamvis ejusmodi sint, quæ pro dignitate et merito omnibus laudanda prædicandaque videantur.

6. Neminem ipse despicit, nec aliorum vivendi rationem, quamvis a sua multum discrepantem, contemnit, neque ullius sententiam, judicium, facta dictave, aut quidquid demum hujusmodi ad alios spectat.

7. Condemnat ipse neminem, nec facta alterius verbo unquam aut gestu elevat, nec animo apud se despicit.

8. In aliis, etiam levissima virtutis argumenta prolixe laudat, extollit, veneratur.

9. Insita item a natura aliis ornamenta, sint licet mediocria, ea tamen, quantum, veritas patitur, efferendo, magni a se fieri indicat.

10. Magnam ei voluptatem afferunt alio-

rum seu naturæ seu gratiæ decora, eaque ab iis commemorari ac magni fieri audit cum benevola tum animi tum vultus hilaritate, quæritque subinde opportunitatem, ut de his aut alios disserentes audiat, aut ut ipse ad proximi commendationem de iisdem loqui possit.

11. Si quæ minus probanda de aliis referri audiat, ea excusat, aut mitiorem in partem interpretatur ; ac ubi id non potest, aliam ejus qui reprehenditur mentem fuisse contendit ; si ne hoc quidem valeat, humanæ naturæ imbecillitatem prætexit, frequentesque ac graves occasiones quæ hominem in errorem impulere ; leve esse quod a proximo admissum, præ eo quod ipse, similibus aut etiam levioribus tentationibus pulsatus, admittere potuisset.

12. Silentium in confusionibus, accusationibus, increpationibus, degradationibus servat, et in his gaudet, exemplo Christi, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* (Hebr., XII, 2.)

Hic apex humilitatis, ad quem ut conscendamus, a minimis in dies occurrentibus auspicandum est : graviora enim occurrunt rarius ; ad quæ tamen, per minora ascendendo et superando, ope divinæ gratiæ tandem pertingimus.

Ad magis in dies æstimandam, exercendam humilitatem in tertio gradu, frequen-

ter tecum hujusmodi sententias repete, easque alte animo imprime :

Quo apud te fueris humilior, eo eris apud Deum altior ; quo hic minor, hoc ibi major; quanto hic depressior, tanto futurus in æternitate eminentior ; quanto hic obscurius latueris, tanto ibi clarius emicabis ; quanto hic pauperior, tanto ibi opulentior; quo mundo contemptibilior, eo apud Deum dignior; quo in hac vita ad ima magis descenderis, hoc in altera sublimius fastigium conscendes ; quanto hic despicieris indignius, hoc apud Deum suspicieris gloriosius ; quanto inter homines neglectior, tanto apud Deum carior ; quo remotior a divitiis mundique fastu, hoc vicinior Deo ejusque thesauris; quanto hic insipientior, tanto a Deo sapientior æstimaberis; quanto hic opinione hominum vilior, tanto Dei existimatione pretiosior. Tantum a mundi judiciis discrepant Dei judicia! Illa temporaria, incerta, inconstantia; hæc perpetua, infallibilia, ac in æternum nunquam mutanda.

« Jesu, concede mihi veræ humilitatis virtutem, ut tibi evadam similior, gratior et ad capessenda humilium præmia aptior, ad gloriam tuam perpetuam. Amen. »

RECOLLECTIO XV.

MEDITATIO.

De Assumptione B. M. V. in cœlum.

1um Præl. Aspiciamus B. M. V. assumptam in cœlum inter choros angelorum et splendidissime exceptam a sanctissima Trinitate.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam lætandi lætitia filiali de triumpho amabilissimæ Matris.

Piorum sacerdotum est attenta mente contemplari triumphum Reginæ sacerdotum, et semetipsos stimulare ad serviendum Deo suo generosissime, videntes quam magnificus sit Deus noster in remunerando fidelitatem servorum suorum. Consideremus igitur qualis fuerit Maria *in morte*, qualis *post mortem*, qualis *in resurrectione*, qualis *in assumptione*, qualis *in cœlo*.

Ium Punctum. — **Maria in morte.**

1° Se ad mortem præparaverat B. M. V. non tantum continuis virtutum

exercitiis, sed etiam ardentissimo desiderio videndi Deum ; idque non ex laborum et hujus vitæ tædio, sed ex purissimo Dei amore. Nihilominus voluntatem suam divinæ subjiciebat, parata diutius vivere, si id foret ad majorem Dei gloriam et fructum animarum. — Sic, o sacerdos, te præpares ad moriendum oportet, strenue laborando ad congerenda merita pro æternitate, et ardenter desiderando relinquere hanc lacrymarum vallem, ea tamen conditione, ut paratum te exhibeas carere gaudiis cœlestis patriæ, quamdiu id divinæ placuerit Providentiæ.

2° Etsi ab originali peccato præservata fuit, non fuit tamen exempta a lege moriendi, tum quia neque Filius ejus hanc prærogativam habuit, tum ut, experiendo et superando mortis difficultatem, merita sua accumularet, et tanto benignius nobis in eadem difficultate constitutis patrocinaretur. Credibile tamen est mortis horam illi ab archangelo Gabriele denuntiatam, et Apostolos divinitus admonitos fuisse

ut morienti adessent. — Roget pius sacerdos Matrem ut sibi morienti ipsa dignetur adesse.

3° Tandem quis non pro certo habet Mariæ morituræ apparuisse Christum, eam ad gloriam et mercedem suorum laborum et meritorum invitantem, et ipsam in ejus non tantum conspectu, sed etiam complexu sanctissimam animam exhalasse ? — Confide, o sacerdos, qui dum vivis sancta uteris familiaritate erga Christum in tabernaculo commorantem, ipsius te conspecturum esse vultum, eo momento quo vitam mortalem cum æterna commutabis.

4° Consideremus quam pretiosa fuerit mors B. M. V. *a)* Quia non morbo, sed *amore* languens a vita defecit ; *b)* quia sine ullo doloris sensu facta est separatio animæ a corpore, ita providente Filio, in compensationem ejus doloris quem ipsa sensit in morte illius ; *c)* quia tantus cumulus meritorum ex bonis operibus comitabatur. — O sacerdos, dum tempus habes, ad moriendum te præpara. Memento te *semel* tantum moriturum, et ab hac tua

morte pendere tuam sortem æternam.

II^um^ PUNCTUM.— **Maria post mortem.**

1° Contemplemur *animam* B. M. V. a corpore separatam. Excepit illam Christus Dominus, ut redderet ei vicem, quæ illum infantem toties ulnis gestarat. Suis eam manibus in cœlum deportat, ut stupentes Angeli merito rogare potuerint : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?* Deinde pleno choro effusi, eam iterum salutant : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* — O sequamur euntis vestigia, relinquentes per aliquot momenta desertum mundi contemnentesque voluptates ejus, et innitamur et nos *Deo,* non nostris viribus.

2° Consideremus magnitudinem *gloriæ,* qua fulget beatissima Virgo. Si enim de omnibus justis dicitur : *Mensuram confertam et coagitatam dabunt in sinum vestrum ;* qualis, quæso, dabitur Mariæ? Et si quidem Veritas dixit : *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis ;* intelligere est quan-

tum Mariæ remensum fuerit, cum semper ipsa mensa fuerit mensura maxima ! Et qui ne frigidæ quidem aquæ haustum indonatum relinquit, quid ei rependerit Filius quem lactaverat ! Deinde, cum gloria gratiæ respondeat, eaque sola tantum gratiæ habuerit quantum omnes sancti simul, necesse est ut Maria superet *gloria* omnes omnino creaturas. Ex toto igitur corde dico tibi, o Maria, *Ave* et *gratia* et gloria *plena*. O bone sacerdos, qui hæc meditaris, exsulta præ gaudio, videns quomodo et tu, dum vivis, immensam possis tibi comparare copiam gloriæ, utendo scilicet mensura larga, in omni occasione aliis officia caritatis præstando, et exercitiis virtutum merendo gratiam, cui ingens gloria respondeat pro tota æternitate.

3° Cum pio quodam servo Mariæ, conspiciamus optimam Matrem super choros Angelorum exaltatam, et triplici donatam a Sanctissima Trinitate corona, *potestatis* scilicet, *sapientiæ* et *caritatis ;* item triplici aureola, *Virginitatis*, *Martyrii* et *Magisterii*. Ac-

cessit *corona stellarum duodecim* in mercedem virtutum, quibus exercendis ipsa tam intente constanterque incubuit. O Maria, Mater amantissima, de his ex toto cordis affectu gratulor tibi et lætor vehementer. Utinam ita nunc vivere incipiam ut et ego corona splendidissima virtutum coram Angelis et Sanctis aliquando merear coronari!

III^um^ PUNCTUM. — **Maria in resurrectione.**

Quis servus Mariæ non præ gaudio exsultabit, dum theologos audit asserentes triplex fuisse Mariæ resurrectionis privilegium. Primum privilegium, aiunt, erat *immunitas a putredine* et *corruptione*, quamdiu Virginis corpus in sepulcro jacebat. Noluit sane Deus sanctum hoc corpus videre corruptionem, in quo Sanctus sanctorum per novem menses commoratus fuerat. — Felices nos nimium, quibus datum est quotidie eumdem Filium Dei recipere, et sic per præsentiam *vivificæ carnis* jus ad beatam resur-

rectionem adipisci. Clarissimis verbis id spopondit Jesus. Gaudeamus !

Alterum privilegium resurrectionis erat ejusdem *anticipatio*. Gratulor tibi, o amabilissima Mater Dei, de tam singulari dono, et pro te gratias ago Filio tuo qui, cum sit ipse *resurrectio* et *vita*, opportunum existimavit nec resurrectionem nec vitam differre illi sacratissimo corpori ex quo carnem ipse suam acceperat.

Tertium resurrectionis privilegium erat *ineffabilis gloria*, quæ illam comitata est. Accessit autem ad cumulum gloriæ, sanctorum angelorum et ipsius Christi augusta præsentia. — Spiritu adstemus et nos sepulcro Mariæ eo momento, quo reversa cœlo, pulcherrima ipsius anima corpori se univit, ut ipsum gloriæ suæ et felicitatis particeps efficeret. Misceamus nos angelis, conclamantes cum ingenti lætitia : *O Mater alma Christi carissima, suscipe pia laudum præconia! O benigna, o regina, o Maria, quæ sola inviolata permansisti!*

IV^um^ PUNCTUM. — **Maria in Assumptione.**

Sublime profecto spectaculum fuit oculis cœlicolarum gloriosus Mariæ ingressus in cœlum. Conspiciamus mente magnificentiam Filii excipientis, amorem complectentis virginem Matrem suam. Quanta gaudia, quantæ acclamationes, quanta officia universæ curiæ cœlestis! O sacerdos, cum immenso amoris affectu conjunge te Angelis, conjunge te omnibus Beatis, qui exsultabundi mediatricem suam, matrem suam agnoscunt, salutant, venerantur. O Maria, sine me, pusillum servum tuum, tibi congaudere de illo tuo splendidissimo et triumphali ingressu. Obtine mihi, quæso, ut aliquando et ego triumphali modo excipi merear in cœlum, ut in æternum tecum cantare possim : *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo,... quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.*

V^um^ PUNCTUM. — **Maria post Assumptionem**

Jam tempus est, o sacerdos, piissima aure percipere concentum laudum quibus omni tempore sancti Patres magnitudinem gloriæ, qua coronata *regnat Maria* in cœlo, certatim extulerunt.

1° Asserunt unanimi voce nos hanc gloriam aliquo modo metiri posse ex *Dignitate Matris Dei ; ex plenitudine* propemodum immensa *gratiæ ; ex meritis vitæ, longæ vitæ*, in continuo exercitio perfectissimarum maximeque heroicarum virtutum exactæ ; ex multis et mirandis obsequiis Christo Domino cum ineffabili amore exhibitis. — Quis nostrum non libenter et cum gaudio seipsum addicat servitio Dei in remunerando tam magnifici, tam liberalis ? Eia, Frater, accinge te ad vitam ducendam *vere ferventem* et *generosam :* per hanc solum poteris tibi comparare *immensum illud gloriæ pondus*, ad quod præparandum tanta cum eloquentia nos divus Paulus exhortatur.

2° Asserunt etiam unanimiter Ma-

riam in cœlis esse, post Filium suum, veluti scopum et metam communis admirationis, laudum et tenerrimorum affectuum, quibus Beati in eam feruntur. Est, aiunt, thesaurorum et gratiarum cœlestium *dispensatrix*, Ecclesiæ et universorum fidelium *Patrona*, *Regina* et *Mater*. Est proinde *solidæ* et *teneræ fiduciæ* argumentum; est peccatorum commune *præsidium*. Enixe igitur, o amabilissima Mater, rogo te, ut me in vita protegas, et vita functum me in cœlum introducas. Amen.

EXAMEN.

Circa modum imitandi humilitatem B. M. V.

Merito scripsit eximius quidam Beatissimae Virginis cultor, coronæ stellarum duodecim respondere *duodecim actus* humilitatis in quibus Beata Virgo se singulariter exercuit. Utinam circa hos actus assuescat se examinare sacerdos, ut saltem a longe imitari contendat admirabilem humilitatem qua Maria ad sublimem gloriam meruit exaltari.

1us ACTUS est: *Occultare dona Dei.* Beatissima Virgo mysterium concepti Verbi ne

dilecto quidem sponso suo manifestavit. — An non continuo, amore proprio instigante, effutire gestio quidquid gratiose concedere dignatus fuerit Deus?

2us ACTUS est: *Odisse laudes.* Beata Virgo, ad honorificam Angeli salutationem, *turbata est.* — Nonne ego, dum aliquid laudis me accepisse contingat, licet forsan immerito, statim efferri videor lætitia?

3us ACTUS est: *Dare Deo omnem gloriam. Magnificat*, inquit Virgo, *anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* — Nonne ego soleo dare gloriam pro rebus prospere factis, non Deo, sed mihimetipsi?

4us ACTUS est: *Abjectionem eligere.* Beata Virgo dum fit Mater Dei, *ancillam* se nominet et se exhibet. — An vel semel in vita, dum optio dabatur, visus sume ligere viliora atque abjectiora?

5us ACTUS est: *Se subjicere legibus a quibus eximi quis posset.* Ita, nulla urgente necessitate, Beatissima Virgo *purificari* voluit. — Et ego forsan leges quibus obligari me novi, non raro flocci facere comperior?

6us ACTUS est: *Submittere se inferioribus.* Ita Beata Virgo creditur se submisisse Elisabeth. — Nonne ego meæ dignitati puto repugnare quantamcumque alienæ voluntati submissionem?

7us ACTUS est: *Ministeria viliora obire.*

Beata Virgo, licet maximorum Regum filia, domi ancillabatur, omnia officia humillima cum gaudio obiens. — Nonne ego dedignor officia minus speciosa, et avide arripio quidquid mihi credo apud homines parere posse existimationem vel admirationem?

8us ACTUS est: *Detrectare honorificari.* Ita Beata Virgo semper delitescebat; neque legitur publice docuisse, aut alia patrasse miracula. — Nonne ego non solum non detrecto honorificari, sed ad honorifica me anhelare satis innuo, publice dolendo et conquerendo de superioribus meis, dum aliis quam mihi committenda judicaverint munera altiora?

9us ACTUS est: *Paupertatem amare et profiteri.* Sic Beata Virgo in stabulo peperit, et in Purificatione columbas offerre voluit, quod munus erat pauperum. — Nonne ego in re supellectilis, mensæ et vestitus affectare videor mores divitum? Nonne apud me datur oblivioni prima beatitudo: Beati pauperes spiritu? An vere sum spiritu pauper?

10us ACTUS est: *Patienter ferre ignominiosa.* Hæc cum plurima Christo inferrentur, perferre debuit Mater et voluit. Nonne ego ad humiliationem confusione impleor, conturbor et animo dejicior?

11us ACTUS est: *Ferre asperiora verba.* Ita credenda est Beata Virgo pertulisse non

semel verba asperiora, dum quidquid asperi dicebatur JESU, necessario a Filio in matrem redundabat. — Et ego quam impatiens fero quidquid paulo durius audeat quis mihi dicere!

12us ACTUS est: *Participem se facere injuriarum alienarum.* Ita Beata Virgo crucifixi astitit, Matrem se professa tam ignominiose crucifixi. — Quomodo me gerere soleo, dum fratrem sacerdotem ignominiose tractatum video ab adversariis Ecclesiæ? An ita loquor, an ita ago, ut pro sua consolatione intelligat Frater meus, qui talia patitur, se habere qui sibi compatiatur, quique glorietur se earumdem injuriarum velle habere partem. Quam triste esset, si sacerdos videretur de humiliatione aliorum sacerdotum gaudere, easdemque aliquomodo injurias comprobare.

O Maria, Virgo humillima, quæ tua humilitate splendidissimam meruisti coronam, et veluti infinitam consecuta es gloriam, obtine nobis a Filio, qui humilitatis magister esse voluit, tantam humilitatem, ut in capite nostro, sicut in tuo, corona æternæ gloriæ per totam æternitatem fulgeat. Amen.

RECOLLECTIO XVI.

MEDITATIO.

De Assumptione B. M. V.

In Introitu missæ de Assumptione B. M. V. ostendit nobis Mater Ecclesia *quales* esse debeant in hac die fidelium *affectus*. Vult ut *gaudeamus omnes in Domino;* et ratio hujus gaudii est quod optimæ matris celebramus festum: *festum celebrantes sub honore B. M. V.* Et ad excitandum magis in nobis hoc gaudium, proponit exemplum Angelorum; *de cujus Assumptione gaudent Angeli.* Affirmat honorem, quem tribuimus Matri, redundare in Filium: *Et collaudant Filium Dei.*

Ut autem gaudium nostrum *practicum* evadat, consideremus *tres gradus* quos distinguere est in *triumpho* Mariæ.

Primus gradus est *victoria* quam retulit Maria de *tribulationibus vitæ.*

Secundus gradus est *victoria* quam retulit Maria de *angustiis mortis.*

Tertius gradus est ipsius *gloriosus in cœlum introitus.*

I^um^ PUNCTUM. — **Victoria de tribulationibus vitæ.**

Quid est *terra* nisi tristissimus *exsilii* locus, nisi *vallis lacrymarum ?* Si talis apparet omnibus, magis sine ullo dubio talis apparuit Mariæ. Abundantius quam alii hujus exsilii tædia et privationes experta est.

Quot angustiis premitur in stabulo, dum Mater amantissima Filium, quem modo peperit, coacta fuit reclinare in præsepio vilibus pannis involutum ! Quanto percellitur dolore in templo, dum post generosissimam Filii sui oblationem, ex ore S. Simeonis audit hunc Filium positum esse in signum cui contradicetur, et suam ipsius animam gladio doloris transfodiendam esse ! Aspiciamus eam, Filium brachiis gestantem, passu præcipiti petentem desertum Ægypti, ut eum furori Herodis eripiat. Sed quis verbis æquare posset dolorem quem sustinuit, dum per tres dies JESUM perditum anxia quæsivit ? Summus profecto fuit dolor Mariæ, dum plorans secuta est Filium

ad ultimum supplicium properantem. Sed quid *sensit* dum brachiis strinxit *mortuum! Quis est homo qui non fleret, Matrem Christi si videret in tanto supplicio?*

Sed ecce Maria, violentissima pressa tempestate, *firma stetit*, omni tempestate superior. Confidebat in Domino, et facta est *sicut mons Sion*. Semper placida et serena, firmo passu per viam procedit, per quam statuit eam ducere divina Providentia, ad singulas tribulationes dicens, ut olim: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Hic primus Mariæ triumphus, o sacerdos, et *tuus* sit. Velis nolis, etiam tibi hæc terra est exsilium. Vellent utique mortales exsilii locum in locum deliciarum mutare, sed frustra. *Semper* et *ubique*, dum vivimus, experiemur nos exsules vivere in *valle lacrymarum*. Ubique labores, ubique dolores. Vepres calcamus, non rosas! Non miror, o sancte David, te exclamasse: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* (Ps. CXIX, 5.) Non miror, sancte

Paule, te exclamasse : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom., VII, 24.) Non miror, o sancte Ignati, te exclamasse: *Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio !*

Erunt igitur nobis miseriæ ; angustiæ et tribulationes multæ. Ut Maria, conetur sacerdos de iis gloriosam reportare victoriam. Hanc autem victoriam de iis reportabit, si inter varia vitæ discrimina sinat se duci spiritu fidei. Credat firmiter omnem suam tribulationem a Deo volitam vel permissam ; Deum velle vel permittere tribulationem, ut nobis *ratio* sit certissima *probandi* erga Deum amorem nostrum et nostram fidelitatem ; ut *fons* nobis sit meritorum pro æternitate, ut nobis sit *divinæ suæ erga nos caritatis* pignus minime dubium ; ut nobis sit pretiosa *pecunia*, quam nobis licebit aliquando commutare *cum cœlo*. Hinc in omnibus sanctis ingens patiendi adversa desiderium. Utinam, o sacerdos, hæc tibi familiaria sint sanctorum dictamina : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini ! — Aut pati aut mori !*

— *Non mori sed pati !* — *Amplius, Domine, amplius !* — *Pati et contemni pro te, o Jesu !* Sine ullo dubio et tu, ut Maria, de omnibus tuis malis gloriose triumphabis.

II^um^ PUNCTUM. — **Victoria de angustiis mortis.**

Quid, quæso, solet *morientes* perturbare aut exagitare angustiis ? Nonne *malæ conscientiæ* testimonium ? Nonne *nimius* rerum humanarum *amor ?* Nonne *timor* proximi *judicii ?*

1° Nihil simile animam Mariæ perturbare potuit. Sola enim inter mortales jucundissimum hoc habuit conscientiæ testimonium, se ne vel per momentum quidem divinæ Majestati displicuisse. Si eo momento quo moriebatur Maria, omnes congregati fuissent servi Dei qui unquam exstiterunt, et ab eis exquisitum fuisset, num se crederent ab omni culpa immunes, quodnam eorum fuisset responsum ? Quantacumque fuisset eorum sanctitas, omnes unanimi voce respondissent cum S. Joanne : *Si dixerimus quoniam peccatum non habe-*

mus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. (I Joan., II, 8.) Tu sola, o Maria, audacter responder potes: *Nunquam peccavi!* Quapropter servus tuus Augustinus scripsit: *De qua... nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem.*

Fide certum est Beatissimam Virginem nullam unquam, ne minimam quidem, contraxisse labem, sed puritatem, quam habebat nascendo, ad exitum usque vitæ intactam conservasse.

Omnes dies, quos vixit in terra, quamdam constituerunt, ut ita dicam, meritorum concatenationem, quam nulla unquam tentatio abrumpere potuerit. Cor ejus, ait Damascenus (Hom. 2 in Nativ.) semper flagrans caritate, erat ante Deum *unguentum*, quod igni ardenti subjectum, jugiter suavissimos efflabat odores. Quam merito exclamare potuit: *Dilectus meus mihi et ego illi.* (Cant., II, 16.) *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* (Ps. IV, 9.)

O sacerdos, si vis mortem tuam omni carere amaritudine, abrumpe forti et virili voluntate mille illa ligamina

quibus cor humanum sinit se constringi. Auferet a te mors omnia quæ possides. Jus, quod acquisivisti ad regnum cœlorum, a te auferre non poterit. Tu solus hoc destruere potes, peccatum committendo. Hoc igitur cave vehementer.

Quam felices nos, si nobis persuasum esset *nunquam* nos inquinatos fuisse peccato ! Sed eheu ! Forsan cum S. Augustino exclamare cogimur hoc triste : *Tantillus puer et jam tantus peccator !* Faxit Deus ut in hora mortis hoc saltem conscientiæ habeamus testimonium, nos pro viribus innumera nostra delicta *dignæ pœnitentiæ* lacrymis penitus diluisse.

2° Quis ignorat multos in hora mortis angustiis premi maximis, propterea quod valedicendum sit *rebus vanis* et *mundanis*, quas tanto prosequebantur affectu. Maria toto corde adhærebat Deo. Melius enim quam Salomon, a prima ætate intellexerat in hoc mundo omnia *Vanitatem esse vanitatum et afflictionem spiritus.* Summam ducebat stultitiam *adhærere*, non Deo, sed

carni, sed mundo, sed sibi. Ipsa dicebat cum Davide : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

3° Quæ futura erant, minime terrebant Mariam, sed ineffabili replebant consolatione. Ipsi mors erat liberatrix benignissima. Tot ac tanta passa erat dum vivebat. Ab ascensione Filii, quid aliud erat ipsius vita, quam *continuum* et *ardens desiderium Patriæ*, ubi sciebat regnare in splendore Filium amantissimum et singulariter dilectum? *Quando veniam et apparebo?* Quando, o Jesu, videbo te in throno sedentem, quem vidi in cruce morientem? Quando videbo te diademate redimitum, quem vidi spinis coronatum? Quando videbo te a multitudine Angelorum adoratum, quem vidi a populo rejectum et tamquam vermem crudeliter conculcatum? *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (Ps. xli, 3) *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo?* (Ps. liv, 7.)

Et ecce ante oculos ejus apertum est cœlum. Videt innumeros Angelos de-

scendentes volatu lætissimo ad humile suum morientis cubile. Inter lætissimos clamores has percipit voces ineffabiles: *Surge, amica mea, propera, et veni. Jam hiems transiit, imber abiit et recessit.* (Cant., II, 10, 11.) Ipse JESUS venit, animam ejus excepturus eamque introducturus in cœlum. Quantæ deliciæ tuæ, o Maria! Quantus triumphus! *Ubi est, mors, stimulus tuus?* (I Cor., XV, 55.)

O vos, sacerdotes, qui plus cæteris obnoxii fuistis ærumnis, et laboribus; qui sub pondere adversitatum gemuistis; consolamini! Veniet dies, qua, ut Mariæ, vobis licebit dicere: *Transierunt omnia!* Deinceps nullæ lacrymæ, nulli labores, nulla tormenta, sed felicitas immensa in æternum perduratura. In hoc momento intelligetis quanta cum veritate dixerit S. Paulus: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom., VIII, 18.) *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (II Cor., IV, 7)

III^um^ PUNCTUM. — **Gloriosus in cœlum introitus.**

Aspiciamus jam augustissimam Virginem, *deliciis affluentem, innixam super dilectum suum* (Cant., VIII, 5), circumdatam legione Angelorum, ascendentem in cœlum. Quam pulchra, quam decora, quam splendida ! Quanto cum affectu ultimam impertitur benedictionem apostolis ! Quomodo in ascensu oculis perlustrat omnia loca in quibus pro nostra salute laboravit, sudavit, martyrium toleravit. Ecce videt modo *Calvariæ montem*, in quo stans juxta crucem, ultimum Filii sui excepit spiritum ; modo *templum*, in quo toties cum JESU et cum Joseph pro nobis oravit ; modo *domum Nazarethanam*, ubi cum Filio suo absconditam et laboriosam duxit per tot annos vitam; modo *Bethlehem*, ubi Filium Dei et suum in humili præsepio reclinatum adoravit. Interea Angeli, qui in cœlo manserant, audientes ascendentium voces : *Attollite portas, principes, vestras, et introibit Regina gloriæ!* exsul-

tantes occurrunt Reginæ suæ desideratissimæ, occurrunt et omnes cœlestis Patriæ incolæ ingenti cum gaudio ; et cunctis plaudentibus, accepta a sanctissima Trinitate corona splendidissima, ascendis, o Maria, thronum tuum, quo nullus pulchrior, nullus Dei throno similior, et in eo regnabis cum Filio tuo per totam æternitatem. Quam beata ! Fac, o benignissima Mater, ut et nos aliquando, adepto throno, tecum regnare valeamus. Amen.

EXAMEN.

Circa ancillam sacerdotis.

An secutus sum, an sequar in posterum sequentia principia ?

I. *Quoad electionem.*

1° Eligatur persona ætatis canonicæ, id est saltem 40 annorum.

2° Persona famæ integræ, habens sensum communem bonum.

3° Persona quæ non sit ex loco, in quo sacerdos exercet ministerium.

4° Sit conditionis nec superioris, nec inferioris, sed mediæ.

5° Sapienter agit sacerdos, sequendo aureum illud statutum multarum diœce-

sium : *Ancillam habeat clericus non juniorem, non garrulam, immodestam, dominatricem.*

II. *Quoad rationem agendi.*

1° Ne permittat ut sumptuosius vestiatur, ut dominium præ se ferat, aut quamdam audaciam ostendat.

2° Non permittat ut quæ domi dicuntur aut peraguntur, ipsa foras reportet.

3° Eam non patiatur *otiosam* manere, nec tamen nimiis laboribus oneret.

4° Ne adeo fidem illi habeat, ut illi aperiat molestias suas et res internas aut difficultates. Fiduciam utique ei ostendat, sed ita ut expensarum rationem exigat, et opera per eam peracta inspiciat.

5° Victum convenientem ei præbeat, nec panem avare metiatur.

6° Mutuam autem pecuniam ab ea non accipiat.

7° Singulis annis salarium usque ad assem ei persolvat, ut ambo liberi maneant, neque ancilla, mortuo hero, sua multorum annorum mercede ab hæredibus fraudetur.

8° Parochus magister sit domus, pater tamen. Gaudeat ancilla *aliqua* libertate emendi, non totali.

9° Faciat ipsa quæ facienda sunt in domo pastorali. Si operi sufficere nequeat, *a*) res extra domum fiant : *b*) alias prudentia opus est in admissione alienæ personæ.

10° Non accipiat visitationes sine licentia pastoris, præsente vel absente domino.

11° Non admittat eam ad confessionem.

12° Res parochiæ ipsi non communicentur.

13° Relationes vel delationes non admittat.

14° Sit semper reservatus, *nunquam familiaris*. Si flet, fleat! Ne attendat sacerdos. Lacrymæ enim feminæ sunt valde periculosæ.

15° Ipse curet vestimenta sua, et in morbo per semetipsum omnia peragat, non per ancillam.

16° Semper totaliter vestitus coram ipsa appareat.

17° Maneat ipsa in culina, et sacerdos in suo cubiculo. Raro ipse ad culinam tendat.

18° Nunquam res aliorum coram ancilla tractentur : habent enim parochiani jus suas res tractandi cum parocho ; sciant proinde parochiani quod ancilla de rebus tractatis nihil scit vel sciet, hoc auget fiduciam.

Da, Domine, ut omnes sacerdotes prudentes sint sicut serpentes !

RECOLLECTIO XVII.

MEDITATIO.

De justitia S. Joseph.

1um Præl. Conspiciamus S. Joseph, in gravissimis tribulationibus constitutum, plenissime se divinæ voluntati subjicientem.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam, ad exemplum beatissimi Sponsi Mariæ, in omnibus *judicandi*, *loquendi* et *agendi in spiritu fidei*.

Occasione mensis, quem assueverunt fideles divo Josepho consecrare, juvat in hac recollectione ea quæ dicta sunt de subsidio sacerdotis fundamentali, quod est *spiritus fidei*, egregio quodam exemplo confirmare et aliquo modo in novam ponere lucem.

Audivimus quidem S. Paulum dicentem: *Justus autem ex fide vivit* (Rom., 1, 17.) Sed quis, quæso, hoc nomen magis meretur, quam ille, quem sanctus Spiritus ipse *Justum* proclamavit? *Joseph, vir ejus, cum esset ju-*

stus. (Matth., I, 19.) Atqui « justus est, aiunt theologi, qui perfectus est, qui eximia est probitate, quique tanta est virtute ut neminem lædat. » Hinc merito concludimus *justum* dici debere hominem, qui erga omnes suas adimplet obligationes. Miro autem modo S. Joseph implevit suas obligationes *erga Deum ;* suas implevit obligationes *erga familiam ;* suas implevit obligationes *erga cæteros homines ;* suas implevit obligationes *erga semetipsum.* Utinam et nos, in hoc sensu, quotquot sumus sacerdotes, *justi* inveniamur !

I^um^ PUNCTUM. — **Justus erga Deum.**

S. Joseph suas erga Deum obligationes implevit perfectissime. Etenim firmissime credebat in Deum suum omnipotentem, infinite sapientem, quosque condidit æterna diligentem caritate ; ejus promissis plenam addebat fidem. Eum super omnia amabat, amabat ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus ; et, quia Deum suum amabat ardentissime, vitabat sedulo quidquid Deo suo *displicere* potuisset.

quidquid *placere* gaudens faciebat. In omnibus sine cunctatione conformabat voluntatem suam voluntati divinæ, et verius quam regius Psaltes dicebat : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Deo meo spem meam.* Verius quam sanctus Franciscus dicere poterat : *Deus meus et omnia !*

Et nos *vere* in Deum nostrum credamus *omnipotentem, infinite sapientem, infinite bonum.* Et nos *vere* in Deo confidamus sine ulla hæsitatione. Et nos *vere* Deum super omnia diligamus. Et nos sedulo vitemus quidquid intellexerimus Deo displiciturum, et cum sancto gaudio faciamus quidquid ipsi placere cognitum est. Nos etiam in omni re, sive prospera, sive adversa, nomen Domini laudemus Ipsiusque sanctissimæ voluntati plenissime acquiescamus.

II^um^ PUNCTUM. — **Justus erga familiam suam.**

S. Joseph fidelissime suas adimplevit obligationes erga familiam suam.

Hanc familiam, divinitus sibi con-

creditam, summa prosequebatur æstimatione, eam diligebat dilectione ineffabili; eam fovebat paterna sollicitudine et omni ratione juvabat; pro ea laborabat, pro ea sudabat, pro ea paratus erat effundere sanguinem suum. Hanc dilectam familiam nunquam contristavit, sed continua afficiebat jucunditate. Quis verbis æquare possit quod fecit pro admirabili sua Sponsa, Matre et Regina nostra; quod fecit pro divino Puero, apud quem ipsius Dei locum tenebat? Quot labores pro eis exantlavit, quot ærumnas pertulit, quot clades sustinuit! Nonne et ipsum exsilium pro eis libenti animo subivit? Totus erat Mariæ, totus erat JESU; eis vixit, pro eis mortuus est.

Et hic iterum habes, o sacerdos, quod imiteris. Familia tua tibi divinitus commissa, est familia sacerdotalis; est et hæc in qua versaris familia parochialis. Qualis fuit S. Joseph erga communitatem Nazarethanam, tales simus et nos erga utramque nostram familiam. Nobis sit in summa æstimatione, et hæc æstimatio nostra diffun-

dat se in singula quæ ad familiam pertinent, nihil ex his parvi ducentes, sed omnia magni facientes.

Familiam hanc nostram diligamus, non verbis tantum, non tantum affectu, sed re, sed actione ; et proinde fideliter et libenti animo faciamus quidquid ad bonum cleri et ad bonum parochiæ aliquid conferre videatur. Nullus sit qui non fideliter obeat munus suum ; nullus qui non complectatur sancta sollicitudine matrem suam : mater enim est nostra familia sacerdotalis, mater est nostra familia parochialis. Pro ea libenter laboremus, sudemus, parati simus pro ea nos fatigare usque ad virium fractionem. Ex altera parte vitemus quidquid posset eam contristare. Et quid eam contristaret? Nonne nostra negligentia, nostra diffidentia, nostra socordia, et Deus avertat, scandalum a nobis datum? Quæ esset felicitas nostra, si omnes unanimi conatu ita ageremus ut domus nostra sacerdotalis convertatur in paradisum terrestrem!

III^um^ PUNCTUM. — **Justus erga cæteros homines.**

S. Joseph implevit suas obligationes erga cæteros homines.

Nullum contemnebat, omnes suo amore complectebatur ; gratum se probabat pro beneficiis acceptis ; injurias condonabat ; quotiescumque occasio erat proximum juvandi, proximum adjuvabat, sine spe humanæ remunerationis. Erga omnes comis et amabilis ; erga nullum durus. Minime offendebatur hominum oblivione vel ingratitudine. Solius Dei judicium exspectabat, et propterea nullis hominum judiciis commovebatur ; in omnibus sancta utebatur libertate filiorum Dei. Talis sit nostra agendi ratio erga homines inter quos nobis vivendum est. Omnes honoremus; sunt enim filii Dei, redempti Christi sanguine pretiosissimo. Omnes sine exceptione amore nostro amplectamur, omnia omnibus nos faciamus. Nostra suavitate, patientia, pietate, cunctorum nobis vinciamus animos, et nunquam, quantacumque sit

injuria, triste demus spectaculum nostris fidelibus animi impatientis, aut in dejectionem vel desperationem prolapsi.

IV^um^ PUNCTUM. — **Justus erga semetipsum.**

Suas adimplevit obligationes erga semetipsum.

Non ignorabat se debere animam suam amare eo amore, quem postea explicaturus erat Filius Dei : Qui amat animam suam, perdit eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Probe intelligebat se non debere quærere quæ *placent*, sed quæ *prosunt* ad gloriam Dei et ad suam sanctificationem. Credebat se a Deo ad felicitatem perfectam et æternam creatum esse, et optime intellexerat se unice hanc felicitatem inventurum esse in famulatu, Deo suo fidelissime exhibito. Ipsi persuasum erat, quod postea dictura erat Ecclesia, nempe : *Servire Deo regnare est.*

Utinam et idem nobis persuasum sit, et unice quæramus nostram felici-

tatem in Dei servitio vere sacerdotali! Forsan perveniremus ad illam S. Josephi jucundissimam cum Deo familiaritatem, quam pulcherrime descripsit venerabilis P. Barradius S. J. in suis commentariis in historiam Evangelicam. « Vidit Jacob Deum in cœlo, scalæ supremo gradui innixum. (Gen., XXVIII, 13.) Nos Eumdem videmus in terris Josepho, qui supremus est genealogiæ Matthæi gradus, incumbentem. Supremus, ait Rupertus, scalæ gradus, cui Dominus innixus est, beatus Josephus est, innixus illi tamquam *tutori pupillus*, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est; ita innixus est beato Josepho, ut esset infantulo pater optimus, ut ejus solatio paterno puer cum Virgine sustentaretur.» Nonne Deus Josepho innitebatur, cum Josephi brachiis ferebatur cumque in gremio Josephi sæpe somnum capiebat? Semel Simeon Christum in ulnas suas accepit, miroque exhilaratus gaudio præclarum canticum Deo cecinit; at Josephus non semel, sed sæpissime eumdem optatissimum Messiam bra-

chiis tulit et amplexus est. Quæ ergo cantica, quas gratiarum actiones, quas Deo laudes, si non ore, saltem corde illum cecinisse credendum est? Recubuit caput Joannis super pectus Christi semel; recubuit pectus et caput Christi, immo totus Christus super Josephum sæpissime. « O levissimum onus, » exclamat quidam vir sanctus, dulce pondus! Læva tua sub capite Josephi, et dextera tua amplexabatur eum. Hinc quanta felicitas Josepho! Nonne propter hanc divinam familiaritatem ipsi paradisus erat Nazarethana domus? Sed, o sacerdos, ecce in Tabernaculo præsens est idem JESUS! Frequenter eum accipis, non in ulnas, hoc parum est, sed in pectus tuum, et frigidus manes! O si haberemus fidem!

EXAMEN.

Circa virtutem justitiæ in sacerdote.

« *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* » (Matth., XXII, 21.)

Agimus hic de illa virtute justitiæ quam definit S. Thomas (2. 2., quæst. 58, art. 1).

dum docet: « Justitia est perpetua et constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. » Explicationem acumine plenam rimatur Tertullianus ex his verbis Christi. *Reddite*, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo : id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ est in nummo ; et imaginem Dei Deo, quæ in homine est, ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. » (De idololatria, cap. 15.)

« Prima hæc justitia est, ait S. Ambrosius (in cap. X ad Romanos), agnoscere Creatorem, deinde custodire quæ præcipit. »

Idem (Lib. 2 Offic., cap. 24): « Justitia est, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit ut communem æquitatem custodiat. »

Sanctus Bernardus (Serm. 4 in Quadrag.): « Justitia vero quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum. *Debitor* enim es etiam prælatis, etiam fratribus tuis : nec vult Deus ut etiam parvi pendas quos ipse minime parvi pendit. »

Ad justitiam servandam tria serviunt principia :

1° *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* (Tob., IV, 16.)

2° *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* (Matth., VII, 12.)

3° *In quo judicio judicaveritis, judicabimini ; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* (Matth., VII, 2.)

Justitia autem triplex est : alia est *legalis*, alia *distributiva*, alia *commutativa*. Juxta hanc triplicem justitiam cum fructu se examinabit sacerdos.

I. *Justitia legalis*, prout est in *Superioribus*.

1° An zelum zelavi pro observatione legum ?

2° An *justa* subditis meis præcipio ?

3° An *bene gesta* præmio remunero vel saltem *laudo ?*

4° An *delicta* tempore opportuno et modo debito *punio ?*

5° An *subditorum commodis* sufficienter prospicio ?

6° An *pericula* aliaque mala ab eorum capitibus prudenter quæro amovere ?

Justitia legalis prout est in *subditis*.

1° An omnibus legibus obedientiam ex spiritu fidei præsto ?

2° An neminem lædo ?

3° An *commune* bonum procurare soleo proprioque antepono ?

II. *Justitia distributiva* in *Superioribus*.

1° An juxta necessitatem aut alios titulos proportionem certam exigentes, communia bona distribuo ?

2° An juxta quantitatem *delicti* et *delinquentis* qualitatem pœnam infligo?

Justitia distributiva in *subditis.*

1° An extra justam causam nihil peto a superioribus?

2° An non in dignitates importune me ingero, eas præcipue quæ excedere videntur meritum?

III. *Justitia commutativa.*

1° An nemini damnum infero, verbo, consilio, facto, in bonis, in honore, in corpore?

2° An omnia proximi verba et facta soleo *benigne* interpretari? An in interpretationibus et judiciis meis de verbis, de factis, immo et de intentione meus *primus motus* non est motus *naturæ lapsæ* et *malignæ*, potius quam motus caritatis?

3° An bonum subditorum conor pro viribus procurare?

IV. In genere.

1° An *Deo* tribuo obedientiam?

2° An *majoribus* tribuo *reverentiam?*

3° An *æqualibus* tribuo *concordiam?*

4° An *subditis* tribuo *disciplinam?*

5° An *mihi* tribuo *sanctimoniam?*

6° An *inimico* tribuo *patientiam?*

7° An *egeno* tribuo *operosam* misericordiam?

V. Juxta definitionem auctoris libri *De ordine vitæ*, inter Opera S. Bernardi: Justitia est *Deum timere*,... *Religionem vene-*

vari,... honorem ferre parentibus,... patriam diligere,... cunctis prodesse,... nocere nulli,... fraternæ caritatis vinculum tenere,... pericula aliena suscipere,... opem ferre miseris,... boni vicissitudinem rependere,... æquitatem in judiciis conservare.

An talis est mea justitia ?

Dicamus cum Davide : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore !* (Ps. CV, 3.) O Domine, hæc deinceps sit mea beatitudo. Amen.

RECOLLECTIO XVIII.

MEDITATIO.

De sancto Joanne Baptista.

1um Præl. Conspiciamus S. Joannem attentis oculis, et apparebit nobis admirabilis genere vitæ quam duxit; admirabilis labore quo Deum suum glorificavit et sancta audacia qua scelera principum profligavit.

2um Præl. Rogemus Deum ut multi tales hodiedum inveniantur sacerdotes, qui, ut totidem Christi præcursores, præsentem societatem, laqueis dæmonis irretitam, regno Christi præparare conentur.

I. In primis admirabilis fuit S. Joannes *genere vitæ* quam duxit. Et re quidem vera statim ac licuit per ætatem, se eripuit commercio humano, ut, contemptis rebus vanis et caducis hujus mundi, et rebus cœlestibus et æternis inhians, in sancta *solitudine* commercium iniret cum Angelis et familiaritate sui Dei frueretur. Nulla

sane lingua verbis æquare posset *delicias* quas in hac cœlesti vita gustavit Joannes. Summa mentis serenitas, summa tranquillitas animi, jugis cordis exsultatio, Paradisus, erat Joanni hæc sua solitudo.

Quare, o sacerdos, non gustares et tu delicias quas gustavit S. Joannes ? Ut ipse, discamus mundana et vana despicere ; ut ipse, discamus sapere et quærere quæ sursum sunt ; ut ipse, nobis faciamus sanctam solitudinem, in qua nobis liceat cum Angelis conversari et familiariter agere cum Deo. Equidem scio nostrum ministerium sacerdotale exigere ut frequenter versemur inter homines et humanis immisceamur tumultibus. Id tamen nos non impedit, quin habeamus et nos nostram solitudinem, dummodo sit *voluntas* eam habendi. Solitudo nostra est *meditatio* nostra quotidiana. Solitudo nostra est *missa*. Solitudo nostra est *visitatio* Sanctissimi. Solitudo nostra est *seria* Scripturarum necnon Vitæ sanctorum *lectio*. Sed præcipua nostra solitudo est *frequens recollectio*.

In hac tam multiplici solitudine copia est Angelicæ conversationis, copia familiaris cum Deo sermocinationis. *Est enim ejus sermocinatio cum simplicibus*, id est, cum sacerdotibus piis et sanctis.

II. Hæc profecto solitudo S. Joannis otiosa non erat. Orabat Joannes, jejunabat, ad proxima se præparabat certamina.

1° *Orabat.* Et qualis, putas, erat ipsius oratio? Fervens, reverentia et fiducia plena. Dubitandum non est, quin Joannis oratio similis fuerit ei qua aliquando diximus Christum orasse in deserto et in monte. Porro hæc oratio Christi *ingens* erat *desiderium*, *ingens oblatio*, et ingens *actus caritatis*. Ita et nos assuescamus orare.

2° *Jejunabat.* Et quo jejunio? Strictissimo et diu protracto. Innocentissimam et virgineam suam carnem omni modo cruciabat, et ratione se nutriendi, et ratione se vestiendi, et ratione somnum capiendi. Quod quidem ipse testatus est de Joanne Christus Dominus, dum dixit Judæis: *Sed quid*

existis videre ? hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. (Matth., XI, 8.) Faxit Deus ut inter tot spectacula effrenæ sensualitatis, sacerdos saltem mortificationis non immemor et ipse conspiciatur. Non raro credere videmur, nos viri Dei, nos præcipua membra capitis spinis coronati, ciliciorum, catenarum, disciplinarum et aliorum modorum carnem nostram cruciandi usum ad aliud sæculum pertinuisse, non ad nostrum. Et hoc sane dolendum.

3° *Ad proxima se præparabat certamina.* Certamen erat ipsi ineundum cum mundo, cum peccatoribus, cum regibus. Et qua ratione se ad tale ac tantum præparabat certamen ? Frequenti contemplatione attributorum Dei. Cum ineffabili animi voluptate oculos quotidie dirigebat ad Deum, Creatorem suum, Patrem suum, amicum suum, omnipotentem, infinite sapientem, infinite bonum, et ardentissima flagrantem erga ipsum caritate. In Deo suo firmissime credebat, firmis-

sime sperabat, eumque ardentissime diligebat. Hinc ortum sumpsere in corde ipsius illa sancta audacia, qua vitia increpabat Judæorum, et illa invicta fortitudo, qua adulterinos Herodis animos damnabat, ad periculum usque capitis. Pro veritate tuenda non dubitavit sanguinem profundere.

Nonne talia sunt nostra tempora, ut merito credamus nobis non dissimile instare certamen? Ecce modo apparuit in mundo hostis vere formidandus. Progreditur, denso agmine, audax et ferox, spirans minarum, moliens cædes et ruinas, spumans ore impio blasphemias horrendas in Christum Dominum ejusque Ecclesiam. Cum ipso nobis congrediendum est modo. Ergo ad bellum hoc sedulo nos præparemus. Propterea, ut Joannes, quotidie oculos dirigamus ad Deum nostrum, ut firmiter mentibus nostris inhæreat quam potens sit Deus noster, quam sapiens, quam bonus et misericors. Unusquisque nostrum dicat: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo omnem spem meam. In Deo*

meo transgrediar murum. Omnia possum in eo qui me confortat.

EXAMEN.

Circa modum gaudendi in Domino semper.

1° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si per omnia se duci sinat *spiritu fidei*, adeo ut firmiter credat nihil sibi accidere posse nisi quod Deus vult aut permittit, Deum autem nihil velle vel permittere nisi quod sit *optimum* juxta leges divinæ ipsius Sapientiæ, et homini *utilissimum ;* si persuasum habeat cum divo Paulo *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.* Quidquid igitur læti vel injucundi contigerit, æquo et tranquillo animo et cum actione gratiarum accipiatur.

An talis fuit, an talis deinceps erit animi mei dispositio ?

2° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si eodem fidei oculo aspicere consueverit suos *superiores*, *æquales* et *subditos* ; ita ut in *superiore* videat, non hominem mille miseriis obnoxium, sed vices gerentem Dei, divinæque Providentiæ instrumentum ; in *æqualibus* videat homines sublimi vocatione donatos et cooperatores Christi in opere omnium divinissimo ; in *subditis* videat filios Dei, sanguine divino redemptos et ad

conregnandum cum Christo per totam æternitatem destinatos.

Quo igitur ego oculo aspicere soleo homines quibuscum vivere debeo? An non forsan oculo carneo? Oculo malevolo? Oculo maligno?

3° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si, more Sanctorum, didicerit a contemplatione creaturarum ascendere ad contemplationem Creatoris. Talibus enim totus mundus fons est inexhaustus jucunditatum.

An assuevi ex hoc fonte aliquid jucunditatis haurire?

4° Gaudebit sacerdos semper in Domino, si sciverit pro amore Dei ejusque divinæ Matris se mortificare, non quidem *coacte* et quasi ex tristi necessitate, sed cum libertate et sancta lætitia. Est autem triplex genus mortificationum: quædam enim veniunt a Deo, et sunt inter omnes optimæ; quædam veniunt ab hominibus, inter quos nos contingit versari, et fructu sunt abundantissimæ; quædam veniunt a nostra voluntate libera, et sunt Deo acceptissimæ, quia proficiscuntur ab amore.

Quænam est mea mortificatio? An lubens accipio, tamquam de manu Dei, dolores, labores, ærumnas? An cum benignitate suffero defectus fratrum, sive physicos sive morales? An mihi proposui legem nun-

quam recedendi a mensa, quin aliquid mortificationis obtulerim Deo ?

5° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si in usu rerum creatarum non attendat ad ea quæ jucunda sunt et amori sensuali placentia ; sed ad ea potius quæ, licet forsan ingrata sint ac difficilia, utilia cognoscuntur ad æternam salutem. Hoc certe gaudio fruebatur S. Aloisius dum ad singula, quæ mundus ei proponebat gaudia, celebre suum opponebat : *Quid hoc ad æternitatem ?*

An talis est mea agendi ratio ?

6° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si JESUM in Tabernaculo absconditum, habeat tamquam amicum inter omnes maximum, eoque utatur familiarissime, ita ut frequenter ad Eum accedat, et pro auxilio, et pro consilio, et pro consolatione.

An mihi est hæc sancta erga JESUM familiaritas ?

7° Gaudebit semper sacerdos in Domino, si, filiali flagrans amore erga B. Virginem, ad hanc benignissimam Matrem cum omni fiducia et simplicitate assueverit recurrere in omni sua necessitate atque tristitia.

An mea est hæc erga Mariam pietas et fiducia ?

DE PARABOLIS.

CONSIDERATIO PRÆLIMINARIA.

De Parabolis Evangelicis.

Quærenti mihi qua ratione plurimum adjuvare possem dilectos meos in sacerdotio Fratres, postquam eos per plures annos adjuvi contemplatione vitæ, passionis, mortis et gloriosæ resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI subiit cogitatio me utilissimam eis navaturum esse operam, si, per plures recollectiones menstruas, eis considerandas proponerem admirabiles Christi Domini Parabolas. Est enim hæc tractatio de Parabolis Domini voluptatis et jucunditatis plena et naturæ nostræ maxime consona ; dulcissime enim sapiunt nobis divina, quando sensibilibus similitudinibus et exemplis explicantur atque vestiuntur.

Antequam hujusmodi meditationum seriem aggredior, utile duxi præmittere qualemcumque hanc de natura Parabolarum considerationem.

Quæramus igitur :

1° Quid sit Parabola *nomine* tenus.

2° Quid sit secundum *rem*.

3° Quare Dominus JESUS frequenter parabolis uti voluerit.

Evangelica sapientia, ait doctissimus Salmeron S. J., ita a Spiritu sancto contex-

ta est et concinnata, ut et *rudes* et *simplices* fructu lectionis ejus non destituantur, et *magna et excelsa* ingenia difficilia multa et obscura, in quibus exerceri et desudare valeant, inveniant; quia neque semper aperta est, nec semper obscura, *sed in ea potest et agnus natare et elephas summergi*, ut magnus ait Gregorius. Et ut causa quæ a philosophis vocatur *universalis*, diversos effectus pro varietate materiæ operatur; sol enim et ceram liquefacit et gelu, rursusque lutum indurat: ad hunc modum eadem Christi doctrina et facilis est et accessibilis *parvulis*, et difficilis est atque velata *mentibus superbis* et ingeniis multum sibi tribuentibus. Ad hoc ergo præstandum Dominus parabolis multis usus est, quibus sæpe res involvebat atque tegebat, ne omnibus, potissimum vero inimicis suis, perviæ et manifestæ essent. Proinde Dominus rogatus ab apostolis, illas omnes parabolas seorsim disserebat atque elucidabat.

I. *Parabola* vox græca est et a Græcis ad Latinos, ut pleræque aliæ, derivata atque in eorum usum accepta. Significat autem *comparationem* sive *collationem*.

Etsi *parabola* et *similitudo* synonyma esse videantur, similitudo tamen generalior est parabola magis est specialis. Videtur ergo quod omnis parabola sit similitudo; non autem omnis similitudo parabola. Nam

parabola in Evangelio nunquam sumitur, nisi inducendo *personam* ratione præditam, vel *negotium cum ratione* confectum, ut comparetur ad personam spiritualem, vel ad spirituale et rationabile negotium. Similitudo vero non tantum actus rationabiles comprehendit, sed etiam ad res sensu præditas vel sensu etiam destitutas comparationem facit. Hinc sali, luci, lucernæ, civitati in monte positæ, stellæ et lampadi comparantur Apostoli. Immo quidam interdum comparantur leoni, lupo, vulpi, serpenti, ovi, bovi, agno et columbæ, juxta illud : *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Dicite vulpi illi. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.*

Frequenter tamen *similitudo* pro *parabola*, et parabola pro similitudine usurpari consuevit, et voces confunduntur, et una pro altera in Scripturis ponitur.

Præter hanc generalem significationem, vox parabolæ in Scripturis interdum usurpatur *in malam partem*, ut significet *exemplum punitionis divinæ*, vel similitudinem improperii, quemadmodum apud Davidem (Ps. LXVIII, 12) dicitur : *Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.* Proinde idem est *tradere in parabolam* ac tradere in exemplum.

Præter hanc parabolæ acceptionem usurpatur interdum pro *narratione obscura et*

eleganti sive *ænigmatico sermone.* Hinc Balaam dicitur : *Quater assumpta parabola locutus*, id est, *obscure* et *involute.*

Rursus in Proverbiis, *parabolæ interpretationes*, *verba sapientum* et ænigmata, pro eodem accipiuntur.

II. Parabola, *secundum rem*, est rerum sive verarum, sive verisimilium, ad aliud significandum, apposita et artificiosa narratio.

Hæc est differentia inter parabolas hominum ingenio excogitatas et inter illas quæ propheticis et evangelicis Scripturis traditæ sunt, quod illæ sensibilibus similitudinibus constent ad *humana negotia* explicanda vel persuadendâ ; quæ vero Scripturis commendatæ sunt, ut res sensibiles ad explicanda mysteria regni Dei et omnibus persuadenda assumuntur. In *hominum* parabolis res externæ assumuntur ad explicandum quæ cum ratione et mente fiunt negotia in illis vero *divinis* usurpantur comparationes sensibiles ad significanda spiritualia mysteria Evangelii, et quæ supra naturam sunt, quæ plane genere et natura discrepant a sensibilibus.

Differt parabola ab *historia;* nam hæc est narratio rei *gestæ ;* parabola vero, rei *fictæ* et *compositæ.*

Differt parabola ab *exemplo;* nam, exemplum pars est historiæ, dum rem aliquam

ut recte factam, alterius rei gestæ similitudine defendimus; vel rem male factam alterius punitionis exemplo demonstramus; ut Dominus, qui Apostolos accusatos quod in sabbato vellerent spicas, exemplo Davidis tuetur, qui quando esuriit, panes Propositionis comedit; Judæos item nolentes audire Verbum Dei, Ninivitarum Jonam prophetam audientium exemplo, et reginæ Austri, quæ venit a finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, convicit et confutavit.

Differt parabola ab *apologo*, sive *fabula*, quod hæc sit rerum neque verarum neque verisimilium ad significandum narratio; nam in apologo, rationis discursus, affectus et voces hominum animantibus sensu rationis carentibus tribuuntur, quod veritate et verisimilitudine caret. Christus autem nunquam illis uti voluit; tum ut distingueret christianam philosophiam a mundi sapientia, quæ est ab apologis commendata et illustrata; tum ne auctoritate Verbi evangelici muta animalia sensu rationis donari viderentur; tum denique ne propter confictos sensus, affectus et linguam hominum in mutis animantibus, mysteria evangelica per fabulas repræsentata, in suspicionem falsitatis aliquo modo venire possent.

Differt postremo a *metaphora*, quae tantum in verbis consistit, ob similitudinem

aliquam, unum pro altero verbo non sine quadam gratia et venustate usurpando, v. g. *Nolite projicere margaritas ante porcos.* In parabola verba non transferuntur, sed *proprie* sunt accipienda, et per illa proprie accepta alia repræsentanda. Ut: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*, aut *Homini negotiatori quærenti* bonas margaritas.

III. Magno sane divinæ Sapientiæ consilio factum est ut evangelica philosophia non nisi sub *parabolis* et *similitudinibus*, quasi pulchris quibusdam atque honestissimis, oculosque nostros delectantibus *indumentis* ornata traderetur.

1° Quod igitur Dominus frequenter parabolas usurpaverit, in primis factum est, quia illorum usus apud sapientissimos viros frequentissimus fuit. Non proinde mirum est, si divina Sapientia, quæ olim per Prophetas in *parabolis* luserat, carnis vestimento induta, mysteria regni cœlorum sub involucris proverbiorum tradere voluerit.

2° Deinde nihil novi Dominus attulit hoc docendi genere usurpato, quia jam olim per Prophetam prædictum fuerat Dominum JESUM parabolis usurum.

3° Delectatus est Dominus parabolis, quod *ad bonos* attinet, ob eorum *fructus* et *utilitates*.

Inter quos fructus primum locum habet,

quod sit aptissimus et accommodatus modus docendi simplicem populum, qui Scripturarum sacrarum testimonia et ratiocinationum pondera non ita capere solet, quemadmodum similitudines et parabolas, quæ ex *manifestis* et *sensibilibus* ratiocinantur et rem velut præsentem oculis subjiciunt, ut potius *spectari* quam audiri videantur.

Alter fructus est quod doctrina parabolis tradita, variis modis affectus nostros concutit, voluntatemque nostram ad quodcumque velit permovet, propter collationem sensibilium ad spiritualia.

Tertius fructus est quia parabolæ fortissime corroborant et confirmant, ut experientia constat.

Quartus fructus est ad velanda et tegenda divina mysteria, atque ita canibus et porcis occultanda. Hæc autem ratio explicata est a Domino apud Matth., Marc. ac Luc., ubi dicitur : *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei ; cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.*

Certe quod attinet ad *bonos* et *fideles*, quales erant discipuli, Dominus parabolas usurpabat, ut eorum animos desiderio discendi accenderet, ac mysteria regni Dei dulcius illorum mentibus instillaret. Quod vero ad *non omnino malos*, sive ad electos,

nondum tamen *vocatos*, spectabat, proderant hæ similitudines, ut non intellectas venerarentur, quas intellectas fastidirent. Quod ad reprobos vero turbæ permixtos attinebat, quales erant Scribæ et Pharisæi, eadem causa usus est parabolis, quam hic Dominus explicavit ; quoniam videlicet, *indignis* mysteria regni Dei celanda erant et abscondenda.

Advertendum est brevissime Lucam et Marcum se expedire, explicando *cur* scilicet in parabolis ad populum loqueretur, *ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* Ubi, ne videatur Dominus velle mortem peccatorum, aut ob id in parabolis loqui, ut non posset intelligi ; quod repugnaret sane bonitati suæ et Scripturæ dicenti : *Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, particula illa *ut*, secundum quosdam, non est usurpanda per modum *finis* sive *causæ:* non enim ob hanc causam Dominus loquebatur in parabolis, ut ipsi non intelligerent ; sed accipienda est per modum *consecutionis*, sive *sequelæ*. Ex eo enim quod Christus in parabolis loquebatur, *consequebatur* ut illi videntes non viderent, et audientes non audirent. Adeo ut sensus sit : quia videntes videre *nolunt*, et audientes *nolunt* audire, sed repugnant, et externo Dei verbo et agnitæ veritati reluctantur, et inspirationi

intus suadenti renituntur. Videntes enim signa et tribuentes ea Beelzebub, non videbant, et audientes doctrinam, et illam ut humanam, vel diabolicam et legi Moysis oppositam calumniantes, non audiebant neque intelligebant, ut a peccato sanari possent.

Quintus vero fructus, quem Dominus ex parabolis elicit, est et *humilitatis* et *diligentiæ*. Cum enim parabolæ obscuræ sint, difficultatesque non paucas contineant, coguntur auditores, ut sensum eorum percipiant, et humiliter et submisse de se sentire et alios peritiores consulere, vel ad Deum per preces et supplicationes pro earum intelligentia recurrere, et cum Apostolis dicere: *Domine, edissere nobis hanc parabolam.* Et ita fructus humilitatis ex obscuritate parabolarum proficiscuntur, atque adeo ex humilitate intelligentia ipsa. Nam ita dixit Dominus: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* (Matth., XI, 25, 26.)

RECOLLECTIO XIX.

MEDITATIO.

De parabola seminantis.

1um Præl. Recordemur quomodo Christus, *cum turba plurima convenirent, dixerit per similitudinem : Exiit qui seminat, seminare semen suum.* (Luc., VIII, 5.)

2um Præl. Rogemus JESUM ut dignetur ipse nobis edisserere parabolam *seminantis.*

1um PUNCTUM. — Scopus Parabolæ.

I. *Finis* ac scopus adeoque *summa* hujus Parabolæ est, ut doceat Christus se esse seminatorem, id est, prædicatorem Evangelii in terra, scilicet apud homines, sed dispari apud dispares fructu.

Primo enim non omnes qui audiunt Evangelium, illud acceptant illudque credunt: sicut *semen*, licet in terra seminatum, non tamen *ubique* humo excipitur, quia cadit v. g. in via, vel juxta

viam vel in terra calcata et dura, nec ullas tunc radices agit.

Secundo, non omnes qui credunt, in fide perseverant ; sed aliqui suadente tentatione recedunt : sicut semen in terra *petrosa* germinans, illico ad solis ardorem arescit.

Tertio, non omnes qui in fide perseverant, fructum bonorum operum proferunt : sic spinæ semen in terra alias bona belle progerminans, suffocant, ne fructum producat.

Quarto, hæc fiunt non vitio seminis, id est, doctrinæ, sed *terræ*, id est *auditorum culpa*, illaque varia, scilicet quædam ob petras, quædam ob spinas. *Petra* est caro, *spina* est mundus, *via* est trita sæcularis et licentioris vitæ consuetudo, ubi volucres cœli, id est, *dæmones* instar avium velocissimi, diligentissimi et animarum voracissimi, semen auditum, id est, doctrinam prædicatam e memoria et mente abripiunt, dum eos, qui *secus viam* versantur, scilicet *homines* naturæ et naturali prudentiæ, communique consuetudini et modo vivendi intentos, vagos, item

otiosos et curiosos avertunt a consideratione et penetratione doctrinæ auditæ, et ad vanitates solitas distrahunt.

Quinti, semen seu *doctrinam* in terra bona, hoc est in corde *bono* suscipiunt, qui illud ruminare incipiunt in eoque proficiunt; in *spinis*, qui totis viribus ejus exsecutioni et virtutum perfectioni incumbunt.

Sexto, aliud semen fert fructum *minorem*, aliud *majorem*, aliud *maximum*, puta aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, idque ob majorem vel seminationem, id est prædicationem et illuminationem rerum spiritualium ac gratiæ affluxum, vel ob majus liberi arbitrii cum gratia studium, cooperationem et conatum.

II. Notemus *solam quartam partem seminis*, scilicet quæ cecidit in terram *bonam fecisse fructum*; reliquæ enim tres seminis partes, scilicet quæ cecidere in *viam*, in terram *petrosam* et in *spinas*, periere nec fructum fecere. Ita ex auditione concionis pauci proficiunt, sed longe plures nullum faciunt fructum. Hinc forsan aliquid levaminis in

animo experientur multi prædicatores et verbi Dei ministri, qui etsi verbum frequenter administrant et in frequenti auditorio proseminant, fructus tamen aut nullus aut exiguus apparet, rara vitæ emendatio, nulla vitiorum imminutio spectatur, nullum virtutum augmentum : quod profecto *neque verbo Dei neque prædicatori* imputandum est, sed negligentiæ et vitio *auditorum*, qui verbo Dei obsistunt, quominus dignos fructus et a prædicatore desideratos edere possint.

O bone sacerdos, quem tristitia et animi dejectio identidem invadunt propter exiguum laboris fructum, aspice Ducem et Magistrum tuum, Jesum. Ipse multas et gravissimas in prædicatione Evangelii invenit difficultates, sed eas animo generoso et constanti superavit.

a) Difficultas erat in eo quod cum talibus agendum et conversandum illi erat, qui aut nullum aut vix ullum fructum ex doctrina et prædicatione ejus capiebant.

b) Difficultas in eo erat quod agen-

dum illi erat cum iis qui odio et invidia succensi, opera et doctrinam ejus in perversam partem interpretabantur — et volentes eum capere in sermone, inimicitias in corde suo fovebant.

c) Difficultas, quoniam cum iis conversatio ejus, qui opera ejus bona et miracula, quæ patrabat, nolebant agnoscere, fictis calumniis eum appetebant, et ludibrio eum habentes, dicebant eum in nomine Beelzebub miracula patrare.

Tantis difficultatibus et calumniis minime deterritus JESUS, eodem firmissimo zelo opus, a Patre suo sibi demandatum, adimplere non cessabat. Etiam ad mortem quæsitus, castella et civitates peragrare non omittebat. Eum igitur indefesso et firmo passu sequamur usque ad finem.

II^um^ PUNCTUM. — **Seminatio.**

Exiit qui seminat, seminare *semen suum.* (Luc., VIII, 5.)

Ut hæc verba cum fructu perpendat sacerdos, considerare debebit singillatim :

1° *Seminatorem ;*
2° *Semen ;*
3° *Modum seminandi.*

I. *Seminator.*

1° Qui seminat semen suum, est *Deus Trinus et Unus;* qui illud seminat per suam inspirationem, quam suggerit nunc per *concionatores*, nunc per *bonos libros* iis qui illos legunt, aut per *bona exempla*, aut *pias imagines*, cum cernuntur, interdum vero per seipsum, inspirationem repente immittens in cor nostrum.

Quoties, o mi Deus, hoc tuum multiplex et salutiferum semen animæ meæ commisisti, quin attenderim ad illud, quin in bonum meum converterim, quin pro illo tibi gratias egerim ! Utinam in posterum attentior fiam ad tuam divinam in me operationem !

2° Ipse *Jesus præcipuus* est verbi Dei et regni cœlorum *prædicator* et *seminator*, et ipse non tantum *in se ipso*, sed etiam *in aliis prædicatoribus*, qui sunt velut *sporta*, ait Salmeron, in qua semen reponitur, verbum Dei spargit.

Dicitur autem *exire*, non per illum

motum loci, qui Filio Dei competere non potest, cum qua Deus est, sit ubique, sed per novam operationem Incarnationis, qua indutus processit tamquam *agricola*, aptam pluviæ, soli et frigori vestem assumens, cum tamen Rex esset. *Purpuram suæ divinitatis cilicio nostræ mortalitatis operuit!* O certe intolerabilis impudentia est, ut *ubi exinanivit se majestas, ibi vermiculus infletur et intumescat.*

Dicitur etiam *exiisse*, per *ostensionem* et *detectionem sui ipsius*, quemadmodum Rex, qui cum in cubiculo est, videtur tantum ab amicis et cubiculariis, ac dicitur *non exire*; quando vero omnibus se spectandum exhibet, et in publicum prodit, dicitur *exire*. In hunc modum ante Incarnationem Filii Dei a cubiculariis tantum cernebatur, id est, ab Angelis Dei; ubi vero nobis conspicuus apparuit, merito *exiisse* dicendus est. « O Verbum æternum, qui, ex paterno sinu prodiens, ex cœlo in hanc nostram terram descendisti, ut semen veræ doctrinæ tuæ, quæ proprie *tua* est sementis, et non alienam, nec ab alio

mendicatam seminares ; exi, Domine, seminare in *meo intellectu* copiosam divinarum illustrationum sementem, quibus te cognoscam et me et id quod credere et facere debeo, illudque opere exsequar ! Tange, quæso, *voluntatem meam*, et sanctorum affectuum sementem in ea semina, et ferventium desideriorum scintillas in eam projice, ut intra cor meum vehementissimus amoris ignis accendatur, ut ex tali semente copiosissimos proferat *fructus*, qui ex eo amore procedant ! »

3° *Confessarii* et *concionatores* sunt et ipsi verbi Dei *seminatores*, quibus, ut selectis *instrumentis* uti dignatur divinus seminator. Ipsi igitur sciant, ut JESUS, *exire* seminare semen JESU ; nimirum sciant exire ex quiete contemplationis ad salutarem prædicationis actionem ; sciant præsertim exire a proprio suo amore, a propria voluntate, ab utilitate et commoditate propria. *Præbeant aliis exemplum, et sit eorum quasi copia dicendi forma vivendi.* (S. Aug., *De doctr. christ.*, liv. IV, cap. XXIX.)

II. *Semen.*

1° *Semen*, inquit JESUS, *est verbum Dei*, sive *externum* illud sit, quod auribus corporis percipitur, sive *internum*, quod intus in anima auditur et est divina inspiratio, ex qua præcipue nascuntur *fructus* quos producit *cor nostrum*, estque instar virtutis seminalis, quæ intra granum, quod seminatur, latet.

2° Apposite, ut ait Corn. a Lap., *doctrina* et *prædicatio Evangelica* comparatur *semini* et ex eo prodeunti *messi*. Quia, sicut ad *messem corporalem* opus est *semine*, *terra*, *sole*, *pluviis* et *ventis*, sic etiam similibus opus est ad *messem evangelicam* et *spiritualem*. *Semen* enim est verbum Dei ejusque prædicatio ; *terra* est liberum cujusque audientis arbitrium ; *sol* est gratia præveniens, illuminans et inflammans liberum arbitrium, ut verbum Dei excipiat, digerat, indeque fructus caritatis et virtutum omnium producat ; *pluvia* est gratia rigans, conservans et promovens hosce bonos arbitrii actus et motus ; *venti* sunt tentationes, qui illos agitando

magis radicant et roborant; denique opus est *patientia*, id est, sustinentia in laboribus et afflictionibus arandi, seminandi, secandi, sarriendi, ac *longanimi* messis seu fructuum et præmii *exspectatione*.

3° Verbum Dei est Evangelium, et Evangelium ipsum non est aliud quam *Christus*, incarnatus, natus, prædicans, moriens, resurgens, mittens Spiritum Sanctum, congregans Ecclesiam, illamque sanctificans et gubernans. En, o sacerdos, *semen*, quod tu seminare teneris ex vocatione et officio. Quam copiosum semen, quam jucundum, quam sublime, quamque fructuosum! Stude ergo JESU, indue JESUM, imbue te moribus JESU; omnia in te spirent JESUM!

III. *Modus seminandi.*

Væ prædicatori catholico, ait Salmeron, nisi verbum Dei aliqua ratione semen *suum* esse fecerit, non tantum per intelligentiam ejus, quod commune est illi cum dæmonibus et peccatoribus; sed *intus* quidem per peculiarem ejus gustum et affectum, qualis est in illis

qui dicunt: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* (Ps. CXVIII, 162.) Et rursus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo.* (Ibid., 103.) Nam tales, ut vim ejus *experti*, efficacius et fructuosius prædicant: *extra* vero per operum bonorum expressionem et exercitium. *Seminatio* enim non est qualiscumque seminis projectio, sed, *accepto semine in manu*, in terra *arata* et *culta* illud spargere, ne orationi ejus vita repugnare videatur. Hinc JESUS, bonus doctor et primus seminator, *cœpit facere et docere;* ut intelligant quotquot ejus locum sustinent, et ministerium verbi cum fructu exercere volunt, *a vita sancta* et moribus virtutes christianas spirantibus *sibi exordiendum* esse; ut quod aliis prædicare et persuadere contendunt, sibi esse prædicatum et persuasissimum ostendant, gratia et munificentia Domini nostri JESU CHRISTI, qui cum Patre et Spiritu sancto semper vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

III^um^ PUNCTUM. — **Sors seminis.**

Hanc seminis sortem admirabiliter explicuit suis apostolis ipse bonus Magister ; quapropter paucissima hic consideranda proponuntur.

1° Consideremus quod, etsi hæc sementis sua natura *pretiosa* sit et *efficax*, ipseque seminator *opportune* eam seminet eo fine et desiderio ut fructum referat, tres tamen ejus partes, *terræ*, cui committitur, *causa* et *culpa* pereunt. — Videat igitur sacerdos an in semetipso non habeat causas, cur hoc semen in ipso non fructificet, coneturque omni diligentia has causas removere.

2° *Aliud cecidit secus viam et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Aliud cecidit supra petram, et natum aruit. Aliud cecidit inter spinas, et spinæ suffocarunt illud.*

Animadvertamus quomodo JESUS ab ineptiore terra, in qua seminatur, *gradatim* ascendat ad minus ineptam, aptiorem, et aptissimam.

Ineptissima ad semen terra est, quæ *in via*, vel *juxta viam*, omnium pedi-

bus calcatur. *Minus inepta* est terra *petrosa. Aptior* est terra bona, sed spinis admixta. *Aptissima* est quæ *tota terra*, pinguis et succata.

Porro *via* est mens, malis cogitationibus trita et arefacta; hæc enim doctrinam Evangelii, suis consuetis cupiditatibus contrariam, non capit, non sentit, non intelligit, et propterea prædicatione non compungitur, nec ad bene agendum impellitur. — Quare, o sacerdos, tam exiguum refers ex lectione Scripturarum et librorum piorum fructum? Nonne forsan quia, deficiente animi recollectione et oculorum modestia, mens tua *viæ publicæ* similis est, per quam mille transeunt cogitationes et imagines vanæ, frivolæ, periculosæ?

Petra est durities protervæ mentis, in qua non est altitudo terræ, id est, profunda lenitas animæ obedientis et disciplinis cœlestibus institutæ. Unde qui talis sunt dispositionis, dulcedine tantum verbi auditi et promissionis magnificæ ad *horam* delectantur, sed radicem *desiderii* salutaris non figunt; ideoque ardore solis, id est, æstu per-

secutionis *uruntur* per *impatientiam*, quia verbum Dei firmiter non adhæserat menti, et propterea exarescunt. — An ego non inter tales numerandus sum ?

Spinas Christus interpretatur *fallaces divitias*. « Quis mihi unquam crederet, ait S. Greg. M., si spinas divitias interpretari voluissem, maxime cum illæ pungant, istæ delectent? Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere, cruentant. *Fallaces* enim sunt quæ nobiscum diu permanere non possunt ; fallaces sunt quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem divitiæ *veræ* sunt, quæ nos *divites virtutibus* faciunt. Si ergo culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. » (S. Greg. M., homil. 15 in Evang.)

« Divitiæ dicuntur spinæ, ait Ludolphus, quia *pungunt* animam in mundo, in judicio, in inferno. *In mundo* tri-

plex est earum punctura, scilicet: *laboris* in acquisitione ; *timoris* in possessione ; *doloris* in amissione.

« *In judicio* etiam pungent mentem, quando Dominus dicet *avaris : Esurivi, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi bibere.* Istæ puncturæ erunt *ita pœnosæ*, ut ipsi avari quasi cupiant non esse, quia dicent montibus : *Cadite super nos ;* et collibus : *Operite nos.*

« *In inferno* etiam istæ spinæ pungent animas *perpetuo* cruciatu, quia ex eis paratur ignis, quo peccatrix anima comburitur. »

Nonne ego sacerdos sino me pungi his spinis, vel nimis sollicite quærendo *bona terrestria* ; vel manu nimis parca et animo reluctante, pauperibus et piis operibus quæ possideo elargiendo ? Utinam nunquam e memoria elabatur mea verbum Jesu dicentis : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum !*

3° Notemus ordinem istorum trium seminum non fructificantium. Primum non germinat, sed conculcatur et ab

avibus comeditur ; secundum germinat quidem, sed non multum erigitur, quia humorem non habet ; tertium vero jam in stipitem elevatur, sed non fructificat, quia a spinis suffocatur.

Profecto triste esset, si bonus et zelosus sacerdos non perveniret ad maturitatem fructuum suorum, *quia nimium adhuc adhæret bonis hujus vitæ.* Tristius esset, si ne ad fructum quidem attingeret, *quia neglectu rerum spiritualium privet se rore cœlesti.* Tristissimum esset, si *nihil* produceret pro vita æterna, *quia vivendo in statu peccati, contemptum suorum sibi comparavit, et adhæret carni et diabolo, non Deo.*

O mi Jesu, concede mihi ut tibi soli serviam diligenter, nec quiescam in fructu trigesimo aut sexagesimo, sed contendam proferre *centesimum*, siquidem fructui hujus vitæ correspondet præmium in futura. Da mihi *seminare, non parce, sed in benedictionibus, ut de benedictionibus metere* valeam. Amen.

EXAMEN.

Circa desiderium perfectionis sacerdotalis.

Quam felix esses, o sacerdos, si merito tibi dicere posset Deus quod dixit apud Isaiam, XLIX, 3 : *Servus meus es tu... in te gloriabor.* Atqui hoc merito diceret tibi Deus, si *perfectus* et *sanctus* esses sacerdos. An talis? Vide.

1° Si quis te consuleret,cui optime velles, *quanam ratione* in sacerdotio vivere deberet, quid illi suaderes? Hoc ergo suade et persuade tibi.

2° Si mors nunc ingrueret tibi, *qualem* in sacerdotio *vitam* vixisse nolles? Nunc ergo dum tempus est, illam elige, istam neglige.

3° Si jam in judicio Dei stare deberes, *qualem vitam* vixisse velles? Qualem tibi apud judicem profuturam, et qualem obfuturam censeres? Hanc ergo relinque, illam delige.

4° Quid a te factum voles, quando in purgatorii flammis ardebis? Quid factum voles, quando ad conspectum dignissimi omni amore Dei venies beatificatus? Pœnitebit te tanto bono, tantæ dignitati, Deo tam abjecte servivisse. Quid factum voles inter tot millia perfectissimorum Dei servorum constitutus? Hoc, si sapis, nunc facito.

5° Quid te hucusque impedivit quin esses sacerdos perfectus?

a) An horror difficultatum vincendique temetipsum ?

b) An horror vigilandi super te ?

c) An metus privandi te levibus solatiis?

d) An metus displicendi aliis, similibus tibi in neglecta vita ?

e) An metus linguarum irridentium, quod te illis non accommodes ?

f) An diffidentia erga Deum?

g) An defectus ordinis in tota vivendi ratione ?

h) An insufficiens fuga tepiditatis et spiritualis acediæ ?

Hæc et similia vide, an tibi in articulo mortis et coram Judice Deo sint suffragatura ? Quin potius dicas ex toto corde cum Joanne Berchmans : *Ego volo fieri sanctus, magnus sanctus, brevi tempore, cum gratia Dei !*

RECOLLECTIO XX.

MEDITATIO.

De parabola zizaniorum.

1um Præl. In memoriam revocemus Parabolam. *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus et colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* (Matth., XIII, 24-30.)

2um Præl. Cum apostolis dicamus Christo Domino : *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.*

Ium Punctum. — **Sensus Parabolæ.**

Cum summa reverentia et humili docilitate ex ore dilecti Magistri parabolæ explicationem percipiamus.

Qui seminat bonum semen est *Filius hominis.*

Ager autem est *mundus.*

Bonum vero *semen* sunt *filii regni.*

Zizania autem *filii* sunt *nequam.*

Inimicus autem qui seminat zizania, est *diabolus.*

Messis vero *consummatio sæculi* est.

Messores autem *Angeli* sunt.

Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.

Tunc Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

Quid clarius, o Jesu, quid pulchrius, quid meditatu dignius, fructu abundantius? Gratias agimus tibi quod volueris

tuo exemplo nos docere cum simplicitate tuas admirabiles parabolas indagare, penitus inspicere, ut varios ex hoc pio examine fructus spirituales colligamus.

II^um^ PUNCTUM. — **Parabolæ applicatio.**

Contemplemur *personas* quæ in hoc evangelico dramate conspiciuntur.

1° Exhibet oculis nostris JESUS *patrem familias* bonum, benignum, sapientem, prudentem, patientem, omnia peragentem, quæ peragi debent, *tempore opportuno*. Quis filius tali patri non confidat plenissime ? Atqui tu, o JESU, ille es Pater noster optimus, benignissimus, prudentissimus, patientissimus, utilitatum opportunitatumque quam maxime providus filiorum tuorum. *Mihi* igitur *bonum est adhærere tibi et in te omnem ponere spem meam* et fiduciam. (Cfr. Ps. LXXII, 28.)

2° Ostendit nobis JESUS *hominem inimicum*, quem dicit esse diabolum, eumque declarat esse perversum valde, cum hominibus somno indulgentibus

suas struat insidias, eo quidem animo ut eos maximis afficiat nocumentis. Admonet igitur nos Dominus ut a tali inimico caveamus quam diligentissime, ne *incautos* et veluti in somno spirituali sepultos, ad perditionem æternam propellat. Orandum ergo nobis est atque vigilandum.

Perpendamus etiam quod inimicus iste, post seminata zizania, *abiit*, ut significet quod se abscondat, ne agnoscatur. Et re quidem vera interdum se *transfigurat in amicum et angelum lucis*, quo nos facilius decipiat. Interdum etiam discedit, desistens a tentationibus, ut, quasi *securi* ab eo esse videamur; sed mox rabie majori revertitur ut nos prosternat. Oportet igitur ut caveamus et nos.

3° Inducit in scenam Jesus *servos fideles*, qui valde solliciti circa res ad Dominum suum pertinentes, paratos se probant ad omnem adhibendum conatum quo malum, ab inimico illatum, quam primum amoveatur. Quis non videt *nos sacerdotes*, inter servos Dei primos dignitate et officio, commo-

neri a Domino Jesu, ne *oculo* conspiciamus *indifferenti* mala quæ a dæmone fidelibus quotidie inferuntur. Et sane nullus est sacerdos, suæ vocationis amans, qui non intelligat se omni diligentia invigilare debere, et omni quidem tempore, ne inimicus ille capitalis suas furtivas promoveat molitiones.

4° *Homines dormientes* symbolice accipiunt S. Hieronymus et S. Augustinus *pastores ecclesiarum*, quibus cura committitur ovium, et quorum negligentia et incuria occasio est impiis sua scelerum zizania seminandi. His ergo, qui custodiæ aliorum deputati sunt, *vigilantia* præcipitur, juxta verbum Christi: *Beati servi illi quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* (Luc. XII, 37.) Nonne ipse apostolus Paulus scripsit: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* (Hebr., XIII, 17.) Quam recte ait Sapiens: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et*

maceria lapidum destructa erat. (Prov., XXIV, 30, 31.)

Multi profecto sacerdotes, hisce præsertim temporibus iniquis, non sine ingenti tristitia, suam hic a Sapienti descriptam putaverint parochiam. Quot vepres, quot urticæ, quot ruinæ! Et, quod summopere dolendum est, dum ad hoc triste spectaculum sacerdos apostolico inflammari deberet ardore, sinit se dilabi ad animi dejectionem, enervatus hac ignava cogitatione, nullam jam superesse spem vepres et urticas ex agro suo eradicandi et reparandi ruinas, omnemque incassum fore conatum ad reducendos parochianos ad meliorem frugem. *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* (Ephes., v, 14.) Adeat *frequentius* pastor oviculas suas, caritate premat, congruis mulceat beneficiis, et paulatim gaudebit quod totum gregem ad Pastorem æternum reduxerit. *Omnia possibilia sunt credenti.* (Marc., IX, 22.)

5° Oculos nostros etiam recreare voluit JESUS præsentia *Angelorum.*

Quis autem nostrum non gaudeat vehementer, dum audit JESUM, asserentem Angelos suos futuros esse ipsius *Messores ?* Utinam Angelus noster custos, in consummatione sæculi, colligendam habeat ex agro nostro *segetem abundantissimam !* Utinam nulla inveniat *zizania* comburenda, quæ, dum vivebamus, si nobis dormientibus ea in agro nostro seminaverat inimicus, igne sinceræ contritionis in fumum et cinerem converterimus.

Dicamus igitur cum pio scriptore: O dulcissime JESU, omnis boni seminis seminator, qui semper vigilas et nunquam dormis, ac propterea vides zizania quæ hostis tuus in campo tuo seminare contendit; ne, quæso, permittas in me tale aliquid seminari quod me separet a te. Quod si ego ex negligentia dormivero, vigilet tua misericordia ut me excitet a somno, et hosti resistam priusquam is mei possessionem accipiat. Amen.

EXAMEN.

Circa fontes quotidianorum defectuum.

Ut narrat R. P. Daniel Pawlowski, S. J., vir in rebus spiritualibus non mediocriter versatus, apparens vice quadam sanctæ Brigittæ sanctissima Dei Mater, docuit illam quod non propter aliquid aliud homo in mundo vivere debeat, nisi *ut Deo faciat honorem* et minuat peccata. Hæc doctrina Matris Dei cordi esse debet sacerdotibus. Satagat igitur sacerdos quotidie minuere defectus, quorum præcipui *fontes* constituunt fructuosi examinis materiam.

Primus fons est *defectus intentionis.*

An mea intentio non solet *esse nulla*, vel *frigida* vel *non pura?* An non *permixta* captioni propriorum commodorum, vel *vitiata* interventu intentionis pravæ?

Secundus fons est *oblivio Dei præsentis.*

Sanctus Basilius in Regula sub ejus nomine edita sic inducitur religiosos suos interrogans: Cujus animus temere vagatur otioque se dat? — Quis frequenter irascitur? — Quis humanas laudes avide captat? — Quis ad opera spiritualia piger est? — Quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? — Quis inter orandum mente distrahitur? — *Qui non semper cogitat Deum cogitationum et actionum suarum inspectorem esse.*

Utinam ergo, o sacerdos, *semper ambulares coram Deo!* (Gen. XVII, 1.)

Tertius fons est *dissimulatio gratiarum Dei excitantium seu prævenientium ordinatarum a Deo ad vitandas imperfectiones.*

Hæc dissimulatio est fons omnis mali. Etenim, juxta Tridentinum (Sess. VI, cap. 16), CHRISTUS JESUS, « tamquam *vitis* in *palmites*, in justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur et subsequitur; » proinde palmes, sine hoc influxu gratiarum excitantium, in dies arescet, excidetur et in ignem mittetur.

An tu, sacerdos, non laboras forsan hac dissimulatione, vel *ex pusillanimitate*, vel *ob fugam molestiæ alicujus*, vel *ob respectus humanos?*

Propone igitur *excitanti quotidie Deo* obedientem te exhibere.

Quartus fons est *neglectus ordinis temporum et actionum.*

Ex hoc neglectu fit ut nostras actiones quæ ad Deum spectant, v. g. meditationem, examen, divinum officium, *conficiamus* in *angustias temporis;* hinc *festinatio, præcipitatio, expeditio levi brachio*, interdumque *omissio.*

An tu, sacerdos, non identidem ex hoc fonte tuas quotidianas miserias visus es haurire? Atqui hoc valde damnosum est,

nam interdum Deus alligat alicui tempori aut actioni gratias cum *finali gratia* connexas, atque ita *neglexisse tempus* aut *actionem illam*, est *perdidisse gratias illas*, et consequenter *gratiam finalem*. Cave!

Quintus fons est *languor mentis* et *tepiditas quædam*, quæ merito vocatur *mors meritorum, pulvinar diaboli, exitium omnis boni, gratiæ divinæ venenum, contristatio Spiritus sancti.*

Vide, o sacerdos, an non deprehendas in te unum alterumve ex *signis* tepiditatis. Hæc signa sunt: 1° Orare ac meditari divina, sine sensu animi et fructu. 2° Ægre se colligere et ad cor redire. 3° Cogitata, dicta factaque sine pudore ac proposito emendationis cursim examinare. 4° In res externas libenter effundi, idque non proximi juvandi causa, sed tædii vitandi. 5° Liberius de aliis loqui, et aliena dicta ac facta carpere. 6° Honorifice ab omnibus, indulgenterque tractari velle 7° In animum inducere se laborare plus æquo, nihilque esse quod non sibi debeatur.

Sextus fons est *consuetudo quærendi seipsum et propria commoda.*

An non semper et ubique et omni modo quæris *teipsum*, o sacerdos, *tuum* judicium, *tuam* voluntatem, *tuum* interesse, neglectis judicio, voluntate commodisque aliorum?

Septimus fons est *inconstantia animi.*

Quot proposita, o sacerdos, concepisti quæ nunquam ad exitum finalem deduxisti! Quot opera bona cum magno ardore aggressus es, quæ, minima occurrente difficultate, ignaviter deseruisti! Utinam in posterum tibi familiare esset energicum S. Francisci Salesii effatum: *Usque ad finem!*

Octavus fons est *negligens custodia sensuum.*

Vocantur merito sensus *fenestræ animæ;* per has autem fenestras, non tantum defectus, sed, testante Scriptura, ipsa mors ascendit.

An sufficienter, o sacerdos, custodire soles oculos? — aures? — linguam? — palatum? — tactum?

Nunquam oblivisci potes multos sacerdotes a culmine pietatis in infernum decidisse, propter *sensus* corporis non sufficienter custoditos.

Identidem exclamet sacerdos cum sancto religioso: O ignis, qui semper ardes et nunquam exstingueris! O amor, qui nunquam vinceris, vince teporem meum! Heu mihi, quia ad ignem algeo et in sole tenebresco! Ignem comedo, dum te, Domine JESU, manduco, et tepeo! Ah! sit tandem finis teporis mei!

RECOLLECTIO XXI.

MEDITATIO.

De parabola seminis crescentis.

1um Præl. Audiamus Jesus dicentem : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet et increscat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* (Marc., IV, 26-29.)

2um Præl. Rogemus humiliter Dominum ut dignetur ipse nobis explicare parabolam.

I. Hæc parabola, ait Salmeron, brevis est et non admodum obscura, et *ordine temporis* præcedit illam grani sinapis, et consequitur tempore illam zizaniorum ; eamque seorsim *apostolis*, et non turbæ dixit, quando scilicet eis exposuit primam parabolam. *Scopus* illius facile apprehenditur, si consideremus præcedentia. Cum enim Dominus

parabolam primam exposuisset, hortatus est apostolos ut lumen acceptum in se ipsis non tantum retinerent, sed et in alios illud effunderent, non tantum nihil eos amissuros prædicens, sed etiam dona ipsis collata cumulaturos.

Nonne merito quis sancte invideat apostolis, videndo quam *familiariter* cum eis conversetur Dominus, quamque *suaviter* eis satagat instillare quæ animos eorum instruere valeant atque recreare? Si vis, o sacerdos, ejus beatitatis participem te reddere, quotidie in ferventi meditatione cum JESU assuesce conversari et frequenti visitatione Tabernaculi cum eo, more sanctorum, agere familiariter.

II. Præsentem subjecit JESUS parabolam, ad declarandum modum quo sua sive apostolica prædicatio fructum ferat. Nam prædicatio similis est homini seminanti semen in agro, cujus germinatio et fructus, *non a se*, sed aliunde exspectatur, scilicet *a terra*. Ita prædicationis fructus, *non ab ipso seminante*, sed *ab auditorum cordibus* pendet; et ut tempore messis falx apponitur, ita

producto prædestinato fructu, succiduntur viri justi de hac vita per mortem. Quoniam enim in *prima* parabola semen ceciderat in tres partes terræ *sine fructu*, et in *secunda* parabola quædam bona semina in zizania interdum converti explicuerat, *ne propterea* apostoli munus prædicationis subterfugerent, et crederent se sine fructu prædicaturos et oleum et operam perdituros, proponit hanc *tertiam* parabolam, qua ostendit *operam* prædicationis Evangelicæ *mercede sua æterna* non carituram, etiam si auditores vel verbum non recipiant, vel receptum amittant, vel eorum vitio et negligentia in zizania convertatur; nam fructum edere bonum, non est *seminantis*, sed ipsius qui semen recipit, hoc est, *auditoris*.

Quis sacerdos bonus non gaudeat vehementer, percipiens ex ore JESU hanc doctrinam consolatione plenam, pro iis præsertim sacerdotibus qui in plurimis locis non sane sua culpa, nullum fere fructum ex suo labore colligere videantur. Perge igitur, o

Frater, in tuis bene cœptis, cum labor tuus sua carere non possit mercede. *Ego*, dixit Dominus, *ero merces tua magna nimis.*

III. Non ignorandum est *regnum Dei*, sive *regnum cœlorum*, multipliciter in novo Testamento accipi; nam: 1° pro *Christo Domino* accipitur, qui, quantum ad Humanitatem attinet, regnum Dei est, Deo subditum atque obediens, pendens Deo tributum honoris, obedientiæ atque utilitatis, dum *per Christum* mundum sibi reconciliavit. 2° Regnum Dei dicitur *Ecclesia militans*, tamquam Sponsa Christo conjuncta, qui Rex ejus est, et cui pendit prædictum tributum, dum pro ejus honore et obedientia militat. 3° *Ecclesia triumphans* vocatur regnum, in cœlo collecta. 4° Per analogiam quamdam, *præmium vitæ æternæ* regnum Dei vel cœlorum dicitur. *Non* omnis, ait Dominus, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Ita etiam per analogiam, *cœlum ipsum Empyreum*, tamquam locus, in quo Deus regnat, dicitur regnum Dei. Eadem ratione

per proportionem quamdam ad Ecclesiam militantem, *Fides* est regnum Dei, quia *per illam* est aditus ad regnum Dei. *Scriptura* ipsa quæ hoc regnum cœlorum explicat, regnum quoque Dei nuncupatur, juxta illud : *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus. Caritas* sive *gratia Dei* regnum dici potest, quia *per eam* regnat in nobis Deus. *Adventus Domini ad judicandum*, regnum Dei appellatur, de quo dicimus : *Adveniat regnum tuum*, quia appariturus est in gloria, quemadmodum in die *Transfigurationis* traditur *venisse in regnum suum.*

Cum igitur tam multiplex sit hujus vocis significatio, propterea mirari non debemus *tot parabolis* regnum Dei explicari ; nam modo hanc, modo illam significationem respicit. Cum ergo regnum cœlorum vel regnum Dei simile dicitur aut *Grano sinapis*, aut *Fermento*, aut *Margaritæ pretiosæ*, vel *decem Virginibus*, non intelligas quod conveniat quantum *ad omnes partes* regni, sed quantum *ad aliquid sui.*

Porro in hac parabola, per *semen*, ut recte docet S. Chrys., significatur *doctrina Evangelica ;* per *agrum*, *auditores ;* per *messem*, *consummatio mundi*, aut etiam *mors* cujusque hominis.

IV. *Et dormiat*, scilicet homo qui seminat. Hinc intelligere est *quam suaviter* agat erga nos divina Providentia. Dummodo adimpleamus officia, quæ ex sociali nostra conditione enascuntur, possumus *quiescere*, nitentes divinæ Providentiæ sollicitudine et cooperatione. Quam bonus es, Domine! Ergo, o sacerdos, si feceris quidquid in tua erat potestate pro bono tui gregis, et si omnes impleveris tui sancti ministerii partes, confide ! largam enim impertietur Dominus conatibus tuis et laboribus benedictionem.

V. *Et exsurgat nocte et die.* Nonnulli istud *exsurgat nocte et die* referunt ad semen, quasi dicat : semen jactum in terram ab agricola germinat et crescit continue nocte et die, ac etiam dum agricola de eo non cogitat, sed quiescit et dormit. Quod quidem verissimum est. Sed planius alii istud

exsurgat nocte et die, referunt ad hominem seminantem, quasi dicat : Sicut agricola, qui seminavit, otiose per noctem dormiente, et per diem surgente, aliisque negotiis vacante, nec de semine et agro cogitante, ipsum tamen semen vi sua germinat et crescit agricola nesciente : ita ut primo germinet herbam, deinde spicam, ac tandem *frumentum* de spica : sic pariter se habet Evangelica prædicatio et doctrina ; hæc enim a Christo et Apostolis seminata, id est, prædicata a parvis initiis, non statim, sed sensim sine sensu crescit in magnas et maturas fidelium fruges, ipso Christo quasi dormiente in cœlis et velut nesciente, eo quod permittat Judæos et gentes infideles ac tyrannos contra Apostolos et Evangelium insurgere, eosque persequi et occidere ; crescit, inquam, donec sensim se propagans totum orbem occupet, quando matura jam messe frumentum, id est, Electi colligentur in horreum, quod fiet in fine mundi et die judicii. Hac ergo parabola significatur *vis Evangelii*, quod

paulatim totum orbem pervasit eumque ad se et ad Christum convertit. (Cornel. a Lapide.)

Hinc intellige, o sacerdos, *tibi non esse gloriandum* in tua prædicatione, quasi tu per eam animas converteres, quia, ut ait Apostolus, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* (I Cor., III, 7.) Ex alia parte intellige *nec te debere cadere animo*, si videas *parvum* et *lentum* esse prædicationis tuæ *fructum*, quia Deus per paucos a te conversos, alios convertet, ut S. Jacobus legitur per septem a se conversos in Hispania totam Hispaniam convertisse. Nunquam igitur animos despondeamus.

VI. *Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*

Moraliter hæc tria, *herbam*, *spicam*, *frumentum*, triplici virtutum et meritorum cujusque *incremento* adaptant interpretes. Terra enim cordis nostri germinat : 1° *herbam*, cum bona desideria et opera in se concipit et inchoat ; 2° *spicam*, cum ea *operando*

strenue prosequitur; 3° *frumentum*, cum opera, virtutes et merita ad plenam *maturitatem* et *perfectionem* perducit. « *Quare non satis est*, inquit Victor Antioch. (apud A Lapide), *ut instar viridis fœni per obedientiam floreamus; sed quadam præterea mascula animi fortitudine, qua ventorum flatibus, hoc est, tentationibus circumacti, erecti culmi instar consistamus, opus est. Tum etiam ut veluti uberes aristæ fructuum, hoc est, virtutum, granis turgeamus metentisque manum impleamus.* »

Confide iterum, o sacerdos! Innuit enim Christus Apostolos et eos qui animas convertunt, debere *longanimiter exspectare* laboris sui fructum et messem, ut exspectant agricolæ, ac teneros fideles sensim docendo, monendo, exercendo, fovere et promovere ad apicem virtutis. Quam igitur nobis necessaria est patientia apostolica! Eam ardenti prece a magistro apostolorum continue efflagitemus, dicentes cum auctore Meditationum sub nomine S. Augustini : *Reple me, Domine, tuis sanctis virtutibus, et fac me bonis*

pollere moribus ; fac me in sanctis operibus tuis, propter nomen sanctum tuum, perseverare usque in finem secundum voluntatem tuam. Amen.

VII. Caveat sacerdos a tentatione qua non pauci laborant, quamque in hac parabola admirabiliter Dominus Jesus refutat. Est tentatio eorum qui dicunt quod aut velint *simul omnia* opera bona præstare, vel *omnia* in *tempus senectutis* præstanda servare. Atqui ut *infans* non potest esse statim vir, et planta non statim est perfecta, et semen ut in terram jactum est, non statim est frumentum, sed primum est herba, deinde spica ; ita nemo repente aut in vitio aut in virtutis perfectione evadit summus Proinde quisque *tempestive* viam Dei arripiat et in ea progressus faciat, et, ut dixit Isaias : *Qui crediderit, non festinet.*

EXAMEN.

Circa tarditatem in via perfectionis.

Ibunt de virtute in virtutem. (Ps. LXXXIII, 8.)

Tarditatem voco animi dispositionem

sacerdotis, qua mereatur audire: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* (Act., IX. 5.) Atqui contra stimulum calcitrare censendus est omnis sacerdos, qui non sinit se incitari ad melius in dies agendum innumeris *stimulis*, quibus eum urget benigna Dei Providentia.

Primus stimulus est *ipse Deus.*

Cogita quantus et qualis sit Deus, quam dignus omni amore et obsequio. Nonne modo loquendi et agendi imitari crederis hominem stultum, qui umbram sui corporis, quam in sole secum ambulare videt, pluris faceret se ipso? Hac sane laborares stultitia, si *rei creatæ* Deum postponeres. An non mea hæc sæpe fuit stultitia?

Secundus stimulus est id quod pro me *fecit* et *passus est Dominus.*

An in me sentio quod in se sentiebat divus Bernardus, dum scribebat (in tract. *De diligendo Deo*, cap. V): « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam et pro refecto, et refecto hoc modo? » Sane in agendo et patiendo non *parcum* te exhibuisti, o JESU, erga me; sed quantacumque faciebas et patiebaris in corde, ut *ignis*, *nunquam* dixisti: *Sufficit.* (Prov., XXX, 16.) Et ego quam sæpe, si non ore, saltem corde dixi: Sat laboris, sat doloris! Non jam sustinere valeo! Utinam deinceps cum S. Francisco Xaverio, intuitu eorum quæ passus est

Dominus JESUS, exclamare auderem : *Amplius, Domine, amplius !*

Tertius stimulus est *Christi et Ecclesiæ exspectatio.*

Exspectant a me ut sim *alter Christus*, sub omni respectu ; an sum ?... Ut sim *fidele organum* Spiritus sancti ; an sum ?... Ut sim *fidelis Dei minister ;* an sum ?... Ut sim *perfecta gregis forma* et *bonus pastor ;* an sum ?... Ut sim *pater pauperum, consolator afflictorum, magister rudium et parvulorum, solamen ægrotantium, morientium introductor ad vitam, certum omnium miserorum refugium ;* an sum ?... An saltem *sinceros* adhibeo *conatus* ad respondendum tantæ exspectationi ?

Quartus stimulus est *multitudo beneficiorum* a Deo acceptorum.

Nonne vel unicum Sacerdotii beneficium vehementer me stimulare deberet ad perfectius serviendum in dies ? Audi Cæsarium Arelatensem (Hom. VIII) : *Plane magnus vitæ fructus est, sæculum potuisse despicere et Deo inservire cœpisse ; evasisse vitiorum infelicissimum dominatum et fugisse gulæ atque luxuriæ fœdissimam servitutem.* Quam turpe esset, si non solum nullos in hac sanctissima via progressus fecissem, sed etiam retro pedem tulissem, ut ambularem in via mundanarum vanitatum, passionum et sensua-

lium delectamentorum ! Quid hac de re mihi insinuare videtur conscientia ?

Quintus stimulus est *præmium beatitudinis cælestis.* An seria mente identidem meditatus sum hæc sapientissima sancti Augustini verba: *Noli attendere qua iturus sis, sed quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam.* Nonne facilius existimo nimium me laborare, nimium me cruciari, quia mihi non sufficienter persuasum est omnem laborem, omnem dolorem, patienter toleratum, esse *semen* æternæ gloriæ, æternæ felicitatis ? Quidni gravatus labore aut dolore exclamo cum divo Paulo: *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis ?* (II Cor., IV, 17.)

Sextus stimulus est *exemplum antecessorum nostrorum.*

An sat frequenter, an sat attente pervolvo vitam sanctorum sacerdotum qui in ea, qua gaudeo ipse, vocatione, sanctitatis apicem attigerunt? Vide S. Carolum, S. Vincentium a Paulo, S. Franciscum Salesium et tot alios, quorum vita conscripta exstat in tua bibliotheca inter libros scilicet quos forsan nunquam aperis !

Septimus stimulus *recordatio frequens peccatorum suorum, consideratio brevitatis vitæ præsentis, desiderium vitæ æternæ,*

cogitatio hæc certam esse mortem, incertam hujus mortis horam et ab ea pendere meam sortem æternam. A momento æternitas. An sufficienter attendo his stimulis sane gravissimis ?

Octavus stimulus est *Christi sententia* tepidis certe formidanda : *Habeo adversum te quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde exciderís ; et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* (Apoc. II, 4, 5.)

RECOLLECTIO XXII.

MEDITATIO.

De parabola grani sinapis.

1um Præl. Ante oculos ponamus Parabolam. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminat in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus.* (Matth., XIII, 31, 32.)

2um Præl. Petamus a Deo gratiam hanc Parabolam ita intelligendi, ut ex ea intellecta uberes nobis et aliis fructus colligamus.

Ium Punctum. — Parabolæ expositio.

1° Quarta est in ordine præsens Parabola, quæ, sicut tres etiam priores, ab *agricultura* desumpta est, ut posset melius et commodius a turbis et rudibus intelligi. Videtur eo tendere ut *vim, efficaciam* et *augmentum regni Dei*, quod a principio exiguum et modicum

fuit, explicet. Et re quidem vera Divina Sapientia, ut se magis redderet conspicuam et consideratione dignam, voluit ex modicis et teneris principiis regnum Dei, quod est Ecclesia, brevi temporis spatio, per paucissimos ministros in universum orbem proferre. Et ita, cum præcedentibus parabolis in multis *periturum esse semen* explicuisset, et multa semina vitio hominum corrupta, *in zizania convertenda*, et usque ad finem sæculi malos bonis admixtos esse tolerandos; ne quisquam propterea *parum proficere* posse prædicationem apostolicam cogitaret, declarat hac parabola Christus, regnum suum ubique proferendum atque propagandum, ut ita *consoletur apostolos*, et *verbi sui virtus*, cujus ministerio res tanta facta est, *agnoscatur* atque *illustretur*. Et cum præcedenti parabola de *semine crescente* locutus fuisset, in hac demonstrationem hujus *profectus* et progressus ostendit.

Mirare, o sacerdos, quam *suaviter*, quam *clare*, quam *plene*, et *quanto cum ordine* mentes rudium instruat Domi-

nus, tradendo eis *non multa simul*, sed quasi per partes, ita ut in fine *tota res* perspecta sit atque intellecta. Sic enim *verbum Dei* considerandum proposuit quater, et quadruplici parabola *de semine*. An ita satagis tu tuos parvulos et rudes instruere, eos docendo *non multa simul*, sed *multum*, ope scilicet *comparationum*, ex rebus vitæ usualis desumptarum ? An in tua catechizandi ratione elucet *suavitas*, *claritas*, *ordo?* An doces docendos *ad captum* et cum invicta patientia ?

2° Quatuor in grano sinapis considerantur :

a) *Exiguitas* : est enim minimum omnium seminum ;

b) *Incrementum* singulare : crescit enim in arborem ;

c) *Vis* et *efficacia* extraordinaria dum conteritur : contritum enim *igneam vim* et *halitum* exspirat, ad multos corporis morbos expellendos aptissimum, simulque sua acredine cibos condit sapidosque efficit ;

d) *Utilitas* dum creverit in arborem : possunt enim volucres cœli in ipsius

ramis quiescere, habitare, nidificare. In omni igitur hujus parabolæ applicatione hæc quatuor ante oculos habenda sunt, ut applicatio planius intelligatur.

Non sine fructu animadvertet pius sacerdos granum sinapis non edere suam vim igneam et miram ad multa efficaciam, nisi vel *contritum* fuerit vel dentibus *mansum;* et illud non posse crescere in arborem, *nisi prius jactum fuerit in terram.* Intelliget igitur *se conteri* debere multis tribulationibus et quasi in terra *abscondi* per profundam humilitatem, si velit aliquando pectoris sui apostolici flammam prodere, et ramis suæ sacerdotalis celsitudinis refugium præbere volucribus cœli, id est, animabus sibi a Deo commissis.

3° Cum *regnum cœlorum* variis modis accipiatur in Evangelio, Patres varias hujus parabolæ expositiones adducunt et, quoniam inter se non pugnant omnes debent cum veneratione suscipi

Hilarius, Ambrosius et Gregorius regnum cœlorum pro *Christo* accipiunt quem grano sinapis comparant. Chry

sostomus et Euthymius de *Ecclesia*, quæ parva fuit abinitio, interpretantur. Augustinus autem de *Fide* interpretatur, cujus fervor similis illi sinapis, et Dominus dixit : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, etc. Hieronymus vero hoc loco *prædicationem* Evangelii sinapi comparatam docet. Juxta has varias Patrum sententias, proponitur varia præsentis parabolæ applicatio.

II^um^ PUNCTUM. — Christus.

1° *a*) Christus minimus est inter omnes legislatores et Prophetas, quod attinet ad *externam speciem*, quæ ex divitiis et natalium splendore, eloquentia et comitatu pendere solet ; Christus enim generatione habebatur filius fabri ; divitias nullas habebat, nec ubi caput reclinaret ; minimus etiam erat inter Apostolos, quibus ministrabat ac quibus dicebat : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* (Luc., XXII, 27.) In cruce etiam erat minimus, ipso dicente : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (Ps. XXI, 9) ; et alii dicunt cum

Propheta : *Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum.* (Isai., LIII, 2, 3.) Quid enim minus et abjectius hoc Christi dogmate quod ab Apostolis prædicatum est? *Prædicamus,* ait Paulus, *Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* (I Cor., I, 23.)

b) Sed idem Christus, ut granum sinapis, *calidæ* fuit et *subtilis naturæ*, propter divinitatem. *Contritus* in cruce indicavit quantæ sit virtutis, nam commovit universum orbem, et exaltatus a terra omnia attraxit ad se. Sustulit venena errorum et superstitionum, per universum mundum prædicatus ; condivit cibos, quos nobis edendos proposuit, id est, *verbi* et *sacramenti.*

c) Hoc granum seminatum est in *horto ;* nam Christus in horto captus est, et post mortem in horto sepultus est ; at mox, ut surrexit a mortuis, maximus factus est, et crevit in arborem magnam, quæ per Ascensionem, ipsum cœlum excessit, impletumque est verbum Prophetæ : *Erit germen*

Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis. (Isai., IV, 2.)

d) Deinde hæc arbor protulit et expandit *ramos* suos, id est *discipulos suos*, quos in orbem terrarum emisit, cum dixit : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marc., XVI, 15.) Et licet *numerus* sit in *ramis*, est tamen *unitas* in *fundamento* sinapis.

e) *Major est omnibus oleribus et fit arbor*, superans omnia olera, id est, omnes sectas exstinguens. *Sicut* enim *malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* (Cant., II, 3.) Vel, ut egregie exponit Hilarius, *major est omnibus oleribus*, quia excedit omnes Prophetas, qui erant velut olera ægrotanti Israeli.

f) *Rami* autem dicuntur in eam magnitudinem crevisse, ut volucres cœli veniant sub umbram ejus, et nidum ibi faciant. *Volucres* cœli hoc loco intelliguntur, secundum aliquos, *Angeli*, qui in cordibus apostolorum quieverunt. Vel secundum alios, volucres cœli dici videntur homines cœlestis

desiderii, et cœlestis mentis, sive homines magnis et excelsis ingeniis præditi, ut philosophi multi et oratores, qui ad Fidem conversi sunt, quique sub umbra apostolicæ doctrinæ requiem captarunt.

g) Hi etiam in ramis hujus sinapis *nidificarunt*, quia omnem suam a seipsis et a creaturis omnibus spem avellentes, in uno Christo et in Fide ejus per apostolos disseminata, eam posuerunt. Nonnulli etiam scriptis suis contra Judæos et Gentiles decertarunt, alios converterunt, et sic merito dicuntur in *ramis sinapis* nidificasse. Eodem sensu nidificant omnes boni pastores et doctores, qui per doctrinam apostolicam filios Dei regenerant et prolem spiritualem filiorum Dei, apostolico verbi et sacramenti ministerio, Deo sufficiunt. Cantillant, dixit aliquis, et garriunt aves dum nidificant, quia laudes et preces ad Deum effundunt viri sapientes, dum bona opera edunt, sed maxime dum alios Christo lucrifaciunt.

Quis, quæso, sacerdos, hæc serio meditans non singulari afficiatur volu-

ptate, dum videt quam miro modo in ipso Christo Domino, amantissimo suo Magistro, parabola grani sinapis, sine ullo labore, et quasi sponte suam inveniat applicationem. Sed oblivisci non potest se esse debere vocatione et officio *alterum Christum*, et proinde quæ de Christo hic dicta sunt, sibimet-ipsi per omnia applicanda esse. Videat igitur an amet *latere*, *nesciri* et *pro nihilo reputari;* an propter hanc vitam absconditam non sinat in pectore suo apostolico ignem minui et quasi exstingui; an oculis Dei et Angelorum conetur quotidie crescere per continuam in virtutes ascensionem, et, sua sanctitate fieri arborem altam, quæ ad ramos suos animas alliciat, ut in eis quiescere valeant et ad gloriam Dei nidificare.

2º Suam etiam virtutem mirificam ostendit, ait P. Ludovicus de Ponte, cum a piis et devotis in Sanctissimo altaris Sacramento comeditur; quia in *exteriori forma* est minimus, quandoquidem in qualibet Hostiæ Sacræ particula, etiam minori quam sit granum sinapis, *totus* est Christus; sed

interne tamen immensam habet virtutem ad animas illam comedentes amoris igne inflammandas, estque instar condimenti suavissimi, quo omnes hujus vitæ asperitates dulcescunt. O Jesu, gratias tibi ago maximas, quod eo usque te demiseris, ut abjecto alioqui sinapis grano potueris comparari ; adeoque hac parvitate delecteris, ut usque ad finem mundi in hoc sacramento velis in ea perseverare. Concede mihi, o Domine, ut usque ad finem vitæ meæ imiter te ; meipsum propter te humiliando, sicut te humiliasti pro mē. Amen.

III^um^ Punctum. — Ecclesia, Evangelium, Fides.

1. Quadrat hæc parabola *ipsi Ecclesiæ*, quæ initio quidem

a) Parva exstitit, juxta illud : *Nolite timere, pusillus grex ;* parva numero, quia duodecim tantum apostolis constabat. *Qualitate* etiam parva erat, quia apostoli peccatores, pauperes et ignobiles erant. Verum, ut ait Paulus, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut con-*

fundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. (I Cor., I, 27-29.)

Hinc apostoli *oculis suis* minimi erant; unde Paulus dicebat: *Mihi, omnium sanctorum minimo* (Ephes., III, 8); et, *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* (I Cor., XV, 9.) Erant etiam minimi *in oculis aliorum;* unde Apostolus ait: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* (I Cor., IV, 13.)

b) Sed etsi minimi, etsi novíssimi, in terra tamquam granum sinapis a Christo seminati, maximum fructum ediderunt, et creverunt in arborem magnam, trahentes universum mundum, et captivantes omnem intellectum in obsequium Fidei; venena errorum exstinxerunt; cultum idolorum sustulerunt, et, ut sinapi *contritum* vim suam edit, ita illi persecutionibus et durissimis mortibus attriti et afflicti, vim

divinam in seipsis delitescentem proferebant, et majorem multitudinem hominum convertebant ad Fidem.

c) Et ut Apostoli erant rami respectu Christi, ita primitivi illi Patres, per Apostolos conversi, *rami* Apostolorum dici possunt, in quos se receperunt magni et excellentes viri, qui, relictis terrenis, tamquam volucres in cœlum respiciebant, ut in eis quiescerent, umbramque consolationis acciperent, et bonorum operum fructus proferentes, nidificarent.

In ramis igitur Apostolorum, ait Salmeron, et eorum qui apostolico munere defunguntur, tota requiescit Ecclesia; eorum meritis fulcitur; eorum precibus adjuvatur; eorum doctrina eruditur et regitur; eorum admirandis exemplis permovetur; denique eorum gloria, quam in Ecclesia habent, accenditur et inflammatur, ut et ipsa efficiatur granum sinapis.

Et, quod sane natum est singulariter animum sacerdotalem exhilarare, quicumque in Ecclesia Dei magna doctrina splendet, sive excellentibus caritatis

exemplis coruscat, aut quicumque martyrii gloria flagrat, ita ut alios ad virtutem accendat, recte grano sinapis comparari potest.

Ut hæc igitur nostra gloria sit, communis cum illa Christi et apostolorum, cum novo accingamus nos ardore ad operanostræsanctissimæ vocationis.

II. Quadrat etiam hæc parabola *Evangelicæ prædicationi* et *Fidei*. Verbum enim Dei prædicatumet creditum, vel Fides de Verbo prædicato parum inter se distant. *a*) Ut ergo granum sinapis minimumest inter omnia semina, ita *Fides*, sive Verbum Dei, minimum est et in oculis hominum contemptum. Omnia enim verba *humana* nituntur *ratione*, et *quia* rationis lumine illustrantur, *libenter* ab omnibus acceptantur. *Fidei* verbum *auctoritate tantum dicentis* nititur, quod videtur esse puerorum et sine ulla ratione cogente credentium ; unde definitur ab Apostolo: *Est autem Fides*, inquit, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. EtaS. Augustino: *Fides est credere quod nondum vides ; cujus fidei*

merces est, videre quod credis. S. Gregorius etiam ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Dicitur etiam minimum verbum Fidei, ratione *eorum quæ tradit* de CHRISTO consputo, flagellato et morti crucis addicto, quæ *humanæ rationi* scandalum et stultitia videntur.

Præterea minimum exstitit, si ad *eos qui illud prædicarunt*, id est, piscatores, oculos conjiciamus.

b) Hoc tamen semen minimum crevit in arborem magnam, dum ad Fidem, per apostolos prædicatam, universus orbis conversus est, ita ut Paulus dicat verbum veritatis evangelicæ ad universum mundum penetrasse, et in eo fructificare et crescere cœpisse. Atque ita cernimus CHRISTI doctrinam non solum veterem legem abrogasse, sed etiam universas hæreticorum sectas exstinxisse.

c) In *ramis* hujus seminis, id est, *in articulis Fidei*, volucres cœli nidificarunt, nam in Trinitatis mysterio et cæteris Incarnationis, prædicationis,

mortis, Resurrectionis et Ascensionis sacramentis, magna et eruditissima ingenia, tamquam in umbra consolationem otiumque sanctum captarunt ; in illis omnes Christifideles nidificarunt et nidificant : siquidem opera CHRISTI meditantes, et per totum annum, ut Ecclesia distribuit, celebrantes, et pacem et quietem incredibilem experimur ; et divino favore adjuti, vitam nostram ad imitationem eorum quæ in his ramis continentur, formantes, filios bonorum operum proferimus, qui non solum nobis ad æternam vitam prosint, sed etiam quam maxime spectant ad gloriam Domini nostri JESU CHRISTI.

Nonne, o Sacerdos, hæc attente considerantes, ardentissimo inflammamur amore erga hunc divinum nostrum Salvatorem, qui nobis tot ac tantarum rerum fontem aperuit, dum cum admirabili simplicitate nobis *grani sinapis* comparationem proposuit ?

Assumamus igitur et nos pennas columbæ, ut ad altiora volantes, possimus in ramis hujus arboris habitare, et

nidulos doctrinarum nobis facere, terrenaque fugientes, ad cœlestia festinare.

Magnum quoque et fervens nobis sit desiderium exaltandi Fidem nostram, ut Dominus JESUS CHRISTUS ab omnibus timeatur, cognoscatur, ametur. Amen.

EXAMEN.

Circa remedia contra avaritiam.

I^um *Remedium.* — Vitare consuetudinem avarorum et assuescere dare eleemosynas, et propterea *serio considerare :*

1° *facilius* esse *dare* quam *accipere*, quia si dare velis, nemo impediet ; si accipere velis, multi objicient impedimentum.

2° *Beatius* est *dare* quam *accipere ;* quia cum donas, a multis gratiæ tum Deo, tum tibi aguntur ; cum accipis, omnes detestantur. Ut autem consuetudinem hanc dandi assumas, alterum horum, vel utrumque facito, nempe *a*) naturæ avaræ vim inferas ; *b*) de tuo quotidie certam eleemosynam, etiam te nescio, conferendi, domestico vel familiari potestatem facias. — An libenter an sufficienter, an benigno vultu soleo pauperibus eleemosynam elargiri ?

II^um *Remedium.* — Considerare brevitatem vitæ, mortemque imminentem. *Facil.*

contemnit omnia, ait S. Hieronymus ad Paulinum, *qui se semper cogitat esse moriturum.* Nam :

1° Morte deserenda sunt omnia, ad aliumque devolventur, forte ingratum, tui immemorem, et (ut saepe videmus) decoctorem.

2° Post mortem Deo erit reddenda ratio de quolibet quadrante, quomodo eum ad Dei voluntatem expenderis. Quia tu bonorum *non dominus*, sed œconomus es constitutus ; ratio igitur danda est de singulis. Quid ergo tantas opes quæris, quibus te obligas ad tantas rationes ? — An jam affectu renuntiasti bonis hujus mundi, tempestive et prudenter condendo testamentum ?

III^um^ *Remedium.* — Considerare, quod per divitias conservatas neque vita ista prorogatur, neque vita æterna comparatur, cum dicat Dominus : *Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum Dei ;* et *Væ vobis divitibus !* (Luc., VI) Cum autem in usus pauperum liberaliter effunduntur, sic et deducunt ad perfectionem, ut CHRISTUS ait : *Si vis esse perfectus, vade, vende quæ habes et da pauperibus.* » (Matth. XIX.) Ita cœlestes mercamur divitias ; quæ tanto nostris divitiis præstantiores sunt atque majores, quanto sol lutum decore et cœli circuitus terram amplitudine vincunt. Si ergo vis veras divitias, habeto illas in cœlo, ubi fures non effodiunt, neque furantur. —

An non exiguitate eleemosynarum tuarum et sollicitudine ad augendas pecunias et conservandas, probas te pluris facere terrenas divitias quam æternas ?

IV^um^ *Remedium.* — Firmam constituere in Domino fiduciam qui, non solum in veteri Testamento, sed etiam in novo, necessaria vitæ fidelibus promisit et præstitit: « *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* » (Matth., VI) Et : « *Non vos deseram neque derelinquam.* » (Hebr. XIII, 5.) Dum autem tu plus æquo sollicitus es, deponit sollicitudinem tui Deus, quam tu de te satis magnam habes. Si vero sollicitudinem tui projiceres in eum, ipse majorem curam tui susciperet. — An non mea debilior est in Deo fiducia, et inde minor erga pauperes benignitas ?

V^um^ *Remedium.* — Intueri exemplum Dei Domini nostri, qui tanta largitate in omnes utitur, ut omnes creaturas divitiis suis cumulet. Inter homines, ut sacerdos, instrumentum esse debeo Providentiæ erga pauperes. An docile, fidele et generosum me exhibeo instrumentum ?

VI^um^ *Remedium.* — Identidem in memoriam revocare, quod SS. Patres de præstanda eleemosyna dixerunt.

« Fac tibi Deum debitorem, et tunc illi supplica ; fœnori da, et repete, ut cum usura recipias. Hoc vult Deus, non recusat. Si

cum eleemosyna repetas, fœnori das, et usuras accipis. Si in pauperum manus extendas manum, ipsum cœli culmen attigisti: nam qui illic sedet, eleemosynam accipit... Dic mihi : si te adiens rex cum purpura, peteret, nonne alacriter omnia dares? » (S. Joan. Chrys. in Epist. II ad Tim.)

Cibus egeni, regni cœlestis est pretium ; et largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. (S. Leo M., serm. 4 de collectis.)

« Marsupium ubi divitiæ tutissime reponuntur, sinus est pauperum. » (S. Petr. Dam., Lib. VIII, epist 14.)

« Suscipit Deus per manus pauperis eleemosynam, eamque tibi reconditam in illa cœlestis promptuarii securitate conservat. » (Idem, opusc. IX, cap. I.)

« Nummularii Salvatoris pauperes et egeni recte intelliguntur, quia pecunia quæ talibus dispensatur, augetur. » (Salvianus, *Adversus avaritiam*, lib. III, initio.)

An mihi satis persuasum est cum eodem Salviano in fidelium oculis nihil turpius esse et exsecratione dignius sacerdote avaro? (Ibid., lib. II.)

O Maria, tu es consolatrix afflictorum et auxilium christianorum : obtine mihi a Deo, ut me exhibeam inter homines alterum Christum, non dignitate tantum et officio, sed etiam mea erga miseros et egenos benignitate. Amen.

RECOLLECTIO XXIII.

MEDITATIO.

De parabola ovis perditæ.

1um Præl. Nobis repræsentemus Dominum JESUM oviculam suis humeris impositam cum lætitia ad ovile reportantem.

2um Præl. Petamus a Deo Patre gratiam agnoscendi Filium ipsius unigenitum ut Pastorem bonum eumque in officio boni pastoris imitandi.

Christus, Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, tribus parabolis ostendit quam laudabile, jucundum gratumque Deo et angelis sit peccatores convertere. Prima est *ovis perditæ et inventæ ;* secunda est *drachmæ amissæ et inventæ ;* tertia est *filii prodigi.* Primam parabolam pia mente perpendamus, considerando :

1° Occasionem et scopum parabolæ;

2° Modum quo periit ovis ;

3° Laborem boni pastoris quærentis ovem perditam ;

4° Gaudium de ove inventa.

Iᵘᵐ Punctum — Occasio et scopus parabolæ.

Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. (Luc., xv, 1.)

1° Ecce illi omnes ad Christum confluebant, allecti scilicet ejus sanctitate et benignitate, quia peccatores ad se vocabat, et pœnitentibus veniam et salutem promittebat. Hæc enim erat ejus concio : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* (Matth., iv, 17.) *Et murmurabant Pharisæi et scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit et manducat cum illis.* (Luc., xv, 2.) Idcirco hanc parabolam proposuit, tum ut animaret discipulos ad peccatores revocandos a vita sua mala et perdita, tum ut retunderet invidiam et malitiam Pharisæorum.

Disce ergo, o sacerdos, *omni modo* et *ubique* homines ad meliorem vitam instigare, eoque animo te illorum conversationi ingere, non ut sensualitati tuæ satisfacias, nihilque aliud agas inter sæculares quam sæcularia et vana,

sed unice ut animas Deo lucreris. Quam triste esset si, dum mensæ sæcularium assides, convivis et ministrantibus scandalo esses, vel edendo avidius, vel copiosius bibendo, vel ridendo et jocando liberius, vel dicendo quæ minime decent sacerdotem ejusque solent singulariter minuere auctoritatem. In domo laicorum non secus ac in ecclesia comites habeat sacerdos *gravitatem*, *modestiam* et sanctam morum *jucunditatem*. Utinam nunquam e mente nostra elabatur sacerdotem ubique esse debere *virum Dei* et *alterum* Christum!

2° Quam oppositus est fastui Pharisæorum spiritus tuus, o Jesu! Ecce illi superbe despiciunt et vitant peccatores tamquam immundos; tu, o Jesu, eos allicis et blande excipis. Quam miseri essemus, si peccatores non reciperes! Si me non recepisses, in qua abysso volverer! O gratias tibi ago de tua tanta demissione, clementia, caritate. Ne, quæso, desistas a me quærendo, etiam si ego fugiam et me sicut Adam abscondam; ne cesses vocare

me, quantumvis resistentem et contradicentem tibi sicut Cain. Compatere tanto periculo meo et multiplica auxilia tua donec me invenias et ad gregem reducas electorum tuorum, cum quibus te fruar in æternum !

II^um^ PUNCTUM. — **Ovis perdita.**

Ovis, quæ perit, est peccator qui ex congregatione justorum et ex subjectione et obedientia pastoris sui recedit, non defectu aut culpa pastoris, sed noxia sua libertate, quia pastor nullam ovem contra ejus voluntatem vult in grege suo retinere. Sed cur illa exit e grege et perit ? Ovis animal simplex est et stolidum, quod proinde *pabulum sequens*, facile a via et grege *aberrat*, ac ut semel erravit, in viam redire nescit. Non raro, errando involvit se vepribus, unde se extricare frustra nititur ; interdum etiam imprudenter prolabitur in abyssum ex qua se eripere non valet. Quare pastore opus habet, qui eam requirat et *ad eam vadat*. Ita nos per peccata et concupiscentias eramus quasi *oves errantes* euntesque

in ruinam et gehennam, nec de Deo, vel salute et cœlo cogitabamus. Unde Isaias (LIII, 6) : *Omnes nos*, ait, *quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit ; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et S. Petrus (I Epist., II, 25) : *Eratis*, ait, *sicut oves errantes ; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.*

Agnosce, o sacerdos, quam turpiter erraveris, qui, sequendo unam herbulam voluptatis, in immania præcipitia deveneris. Absit ut posthac erres !

III^um^ PUNCTUM. — **Pastor quærens ovem perditam.**

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam ? (Luc., XV, 4.)

1° Hic homo est JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui de cœlo descendit ut esset bonus pastor hominum, qui admirabili providentia magnaque vigilantia oves suas *gubernat*, qui *cognoscit*

eas, signoque gratiæ suæ eas *signat*, et *ante eas vadit*, dans illis *exemplum* vitæ sanctæ; *curat* eas a *scabie peccatorum*, *defendit* eas ab infernis lupis, *dat* illis selecta doctrinæ et sacramentorum pascua: et *tantus* est in eas *amor* ut, per maximum miraculum, se ipsum illis det in cibum, ita ut *pascat* eas proprio suo corpore et sanguine; et denique propriam *vitam* suam *posuit* pro ovibus suis.

« O supreme pastor, exclamat pius scriptor, quam tibi sunt caræ istæ oves, cum tamen nulla illarum opus habeas! Etsi enim illæ perirent, quid tibi decederet? Num illarum lana te indues! Aut lacte illarum nutrieris? Aut earum fœtibus ditesces? Quod si oves omnino vis, num alias meliores in cœlo non habes, quæ obsequio tuo fidelissime assistunt? Sed caritas tua, Deus meus, omnium horum est causa. »

2° Ivit ad illam quæ perierat, scilicet ad te, o sacerdos! Quæsivit te; quot angustiis et doloribus? per quæ tormenta? Quam arduas vias ivit, a stabulo usque ad crucem! Invenit te;

sumpsit in humeros suos et deportavit te in hoc ovile in quo vivis. Gratias age.

3° Quis non miratur *immensam* divini Pastoris *caritatem*, qui inventam ovem non percussit baculo pastorali, nec illam per terram traxit aut calcibus impulit ut rediret; sed *blande* et *suaviter* et magno cum gaudio accepit eam in humeros suos, donec ad gregem suum reduceret? Quam longe aliter agunt nonnulli sacerdotes, qui *duris verbis* peccatores excipiunt, ægre præbent eis aures ad excipienda peccata, impatientem ostendunt animum, propterea quod paulo diutius duraturam confessionem suspicantur; non raro objurgationibus profligant pauperculum peccatorem, cujus vulneribus non vinum et oleum infundunt, sed acetum et absinthium.

O si minus dure excepisses hos peccatores, si non calcibus, ut ita dicam, e confessionali expulisses; si blande et amanter in humeros suscepisses, forsan ex peccatoribus sanctos fecisses, ad opera pietatis et caritatis excitasses, et

ingenti gaudio perfusus fuisses. *Misericordiam* volo, ait JESUS, non iram, non indignationem, non duritiam.

4° *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens; et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis; Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* (Luc., XV, 5, 6.)

Crescit sane nostra admiratio, dum videmus quousque caritas nostri pastoris supremi progrediatur; quia non solum exsultat, dum hujusmodi oves invenit, sed convocat etiam et invitat omnes angelos cœli et justos qui sunt in terra, ut ipsi gaudeant et sibi congratulentur quod perditam ovem invenerit. O bonitas JESU mei! Ego convocare deberem omnes creaturas ad gratulandum *mihi*, qui inventus sum et vitam recepi; tu tibi gratularis, quasi me invento lucrum reciperes. Ah! si tantum gaudium haberes me invento, nolo jam me tibi iterum subtrahere; immo me ipsum denuo tibi dono in æternum. Nunquam igitur permitte me a te separari.

IVum PUNCTUM. — **Gaudium.**

Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia. (Luc., XV, 7.)

Profecto delectat Deum et angelos *continuata* justorum *sanctitas ;* sed specialem quamdam rationem gaudii adfert *nova* et quodammodo insperata conversio peccatoris. Sic parens aliquis plures habens filios sanos et in prosperitate bene habentes; si illorum aliquis in gravem morbum aut adversitatem incidisset, si ex eo periculo evadat ; novo quodam et magno actuali gaudio afficitur, diverso ab illo, quo ex aliorum sanitate et prosperitate. Ita ex conversione alicujus peccatoris afficiuntur angeli novo accidentali gaudio, ut loquuntur theologi, diverso ab eo quod ex cæteris justis habebant, qui non indigebant pœnitentia, qua ad Deum converterentur.

Quam merito dixit S. Bernardus *lacrymas pœnitentium esse vinum Angelorum !* (Serm. XXX in Cantica.

Pro *conclusione* totius parabolæ, nobis ob oculos ponamus aliquem *sacerdotem vere zelosum*, qui, ad exemplum Pastoris æterni, totus est in curandis ovibus suis et in errantibus ad ovile reducendis. Quam felix est!

De mane ad vesperum laboravit, sudavit, fatigatione fatiscit. Jamjam dormiturus, *suaviter* revolvit mente quid hac die egerit, quid sustinuerit pro Deo suo, pro dilectissimis suis parochianis. Numerat confessiones exceptas ; recordor, exclamat, recordor, o mi Jesu, istius peccatoris insignis, quem ad me misisti ; per viginti annos non posuerat pedem in ecclesia, venit ad me, omnia dixit, lacrymatus est abunde ; conversus est. Et hæc dicens et ipse bonus sacerdos abstergit ab oculo lacrymam, *lacrymam consolationis*, cogitans se lucratum esse animam Deo suo... Extremam unctionem dedi tribus, morbo contagioso correptis ; adstiti morientibus duobus, quos cum Dei gratia optime disposueram ; baptizavi infantulum, novam oviculam meam ; o præ pulchritudine mihi ange-

lus videbatur : utinam angelus maneat per totam vitam!... Conciliavi inter se patrem et filium istius familiæ, non sine difficultate ;... puerulos meos pane doctrinæ christianæ nutrivi, et brevi, o meum gaudium, ipsos cibo divino nutrire potero,... de pulpito dixi coram populo meo frequentissimo; quanta cum attentione mea verba excipere videbatur! Bonus populus meus! O si pro ejus felicitate mihi contingeret mori !... Fatigatus sum valde, o mi Jesu, sed libenter pro te, o Deus meus et omnia! Et hæc dulciter murmurans obdormiscit; dormit somno bono justorum, et in ipso videtur cor ejus vigilare ad amandum Deum suum, ad amandos parochianos suos. Quanta felicitas ! quanta jucunditas ! Quam pura, quam solida, quam vera !

EXAMEN.

Circa compassionem sacerdotalem.

« *Compati*, ait S. Athanasius, est condolere medullitus afflictionibus proximorum, tam spiritualibus quam corporalibus.»

« Quid est autem misericordia nisi alienæ

miseriæ quædam in nostro corde *compassio*, qua utique, si possumus, subvenire compellimur. Servit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur sive cum ignoscitur pœnitenti. » S. Aug, *de Civitate Dei*, lib. IX, cap. 5. — Idem, *De agone christiano*, cap. 30 : « Nusquam tam vigere debent viscera misericordiæ, ait, quam in catholica Ecclesia. »

Et merito quis dixerit : Apud nullum tam vigere debet compassio quam apud *sacerdotem*.

S. Greg. M. in illa verba Job : *Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi*, hæc animadvertit :

« Quamvis vera compassio est passioni proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen, cum exteriora quæque abunde suppetunt, celerius dantis manus dationem invenit quam animus dolorem. Unde scire necesse est quia ille perfecte tribuit, qui cum illo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit. »

Sedulo igitur examinet se sacerdos circa exercitium hujus virtutis.

An compatior sacerdoti ?

1° Si *peccavit*. An *tristor* ejus miseria et spirituali necessitate ?.... An *oro* sincere ut resipiscat quam primum ?... An conor omni modo *obtegere* culpam ejus, ut igno-

rantibus eam non innotescat ?... An omni utor industria ut ipsi *aperiatur via* ad conversionem ?... Quam triste esset ac turpe, si ex aliquo affectu inordinato vel vindictæ vel invidiæ de lapsu Fratris *gauderem !* Si omnem arriperem occasionem lapsum aliis manifestum faciendi !

2° Si *ægrotat.* An visitando quam primum ægrotantem, ostendo me minime indifferentem esse erga ea quæ patitur Frater ?... An *verbis* caritatem sacerdotalem redolentibus, satago ejus animum ad fiduciam erigere ?... An, si in mea est potestate, quæro Fratris dolores lenire et ad convalescendum eum adjuvare *esculentis* quibusdam et *vino* exquisitiori et salubriori, et id quidem quin ipse ægrotus id expetiverit ?... An me ipsum offero sponte ad quædam officia peragenda in parochia loco pastoris morbo laborantis ?

3° Si *nimia torquetur paupertate*, quod sine rubore nulli hominum posset patefacere, an ego delicatissima sollicitudine ei aliquid pecuniæ procuro, quin suspicari valeat id sibi obvenire tamquam eleemosynam?

4° Si circa *famam* ipsius *periculum* est, an ductus misericordiæ affectu, *tempestive* Fratrem admoneo de periculo, et omni conatu periculum a capite ejus avertere contendo ?

5° Si *calumniis* oppetitur, et ipsi est non

vel animus vel facultas se defendendi, an ego innocentis causam libenter suscipio, et tota mea utor auctoritate ad calumniatorum infringendas insidias?

6° Si Fratrem *pusillanimum, tristem animoque dejectum* esse animadverto, an *suaviter* et *amanter* eum recreare, ac viribus et animis augere soleo, eum ad mensam meam invitando, cum ipso ambulationem instituendo, et eos cum ipso miscendo sermones ex quibus aliquid roboris, levaminis et lætitiæ valeat percipere?

7° Si propter simplicitatem nimiam, viderim Fratrem obnoxium jocis et irrisionibus aliorum, quin possit jocantibus et irrisoribus respondere, ita, ut humiliatum se sentiat et contristetur; an ego sancta utens industria, partes suscipio Fratris mei, et ipse jocando telum conjicio in caput jocantium, quin tamen ullus offendatur?

Hoc officium misericordiæ merito quis *angelicum* vocaverit.

8° Si jamjam morti proximus est Frater, an ita omnia perago circa ipsum ut tempore opportuno ultima accipiat sacramenta, condat sapienter testamentum, pace et tranquillitate animi fruatur, et omnibus gaudeat consolationibus quas fideli sacerdoti conferre solet misericordissimus Deus noster?

II. An compatior aliis, nempe parochia-

nis *peccatoribus*... infirmis... moribundis... mendicis, operariis, pauperibus... ruinam patientibus et rebus adversis obrutis... parvulis... male nuptis... scrupulosis... juvenibus et puellis circa mundi illecebras vitandas non sat cautis ?

An omnibus omnia factus, cum S. Paulo dicere possum : « *Quis infirmatur et ego non infirmor ? Quis scandalizatur et ego non uror ?* » (II Cor., XI, 29.)

Audiatur S. Bernardus dicens : « Natura hominis ad indignandum quam ad *compatiendum* paratior... Verumtamen quod non potest natura, potest gratia. Quem ergo hominum unctio Spiritus miserata perfundere denuo sua benignitate dignabitur, is continuo... aliquid melius a gratia quam a natura recipiet. In fide et lenitate sanctum faciet illum, et dabit illi... ut tamquam feralem aliquem ritum exhorreat, non solum cuiquam facere hominum quod pati ipse nolit, sed etiam *non facere* omnia omnibus quæcumque sibi fieri velit. » (Sermo XLIV in Cantica.)

RECOLLECTIO XXIV.

MEDITATIO.

De filio prodigo.

1um Præl. Repræsentemus nobis prodigum proficiscentem, porcos pascentem, revertentem ad patrem, a patre benigne exceptum. (Luc. XV.)

2um Præl. Gratiam petamus redeundi ex toto corde ad Patrem nostrum *per veram conversionem.*

Neminem latet scopum hujus parabolæ esse, ut per illam Christus ostendat quantum bonum et gaudium sit in cœlo ob peccatorum conversionem, ac consequenter perperam murmurare Pharisæos quod Christus cum peccatoribus conversetur ut eos convertat.

Fructus autem hujus meditationis duplex esse debet: alter *ingens fiducia* qua impellamur ad Christi pedes, qui ipse in hac parabola nobis ostendit thesaurum Cordis sui misericordissimi; alter *firma voluntas* peccatores vel maximos excipiendi cum omni suavitate et bonitate vere paterna.

In primo puncto contemplemur prodigum *a domo patris recedentem;* in secundo prodigum ad *patrem revertentem ;* in tertio prodigum *a patre benigne exceptum.*

I^um^ PUNCTUM. — Discessus.

Filius prodigus, fastidiens paternam domum, petiit sibi suam donari portionem ;... qua obtenta, profectus est in regionem longinquam ;... ubi vita in omnem licentiam effusa,... dissipavit omnem substantiam suam,... ita ut ad famem redactus, adhærere coactus sit cuidam civi illius regionis,... qui misit illum in villam suam,... ut pasceret porcos ;... et cupiebat implere ventrem de siliquis quas porci manducabant,... et nemo illi dabat.

Consideremus quam *imprudenter* reliquerit domum paternam prodigus. Tam beatus erat! Nihil ei deerat. Fruebatur consortio optimi patris, optimi fratris. Ab omnibus amabatur. Sed ecce, spe libertatis delusus, abit, licet intelligat quantam inde conceptu-rus sit pater tristitiam.

Vadit ad regionem longinquam, ut procul ab oculis patris liberius agere possit. Ast consiliis patris privatus, facile decipitur a dæmone, adeo ut inceperit vivere luxuriose, et brevi tempore totam suam dissipaverit substantiam. Patitur famem ; qua coactus vendit suam libertatem, adhærendo hero durissimo, a quo in solitudinem mittitur tristissimam, ipsique committitur cura porcorum. Filius tantæ familiæ pascit porcos ! et interea necatur fame, frustra desiderans aliquid de cibo porcorum ! O quam *miser* factus est sua culpa !

O sacerdos, qui a tempore quo auctus es sacerdotio, peccasti lethaliter, habes historiam tuam adumbratam.

Per ingressum tuum in statum clericalem, factus es specialiter filius Dei et frater Christi ; simul jus accepisti ad cœlestem hæreditatem. Tam felix eras in domo paterna. Ut angelus vivebas, omnibus carus. Experiebaris quam suave sit jugum patris, et onus quam leve. Sed ecce venit tentatio : tentationi cessisti, et cedendo tentationi

a Patre recessisti. Profecto recessu tuo cor Patris tui tristitia affecisti. Longe abivisti per teporem a primo statu. Ivisti in regionem longinquam, incognitam, et cœpisti vivere liberius. Brevi dissipasti omnia quæ acceperas; pauper factus es valde, et vendidisti libertatem tuam crudeli civi, dæmoni qui, proh dolor! te *sacerdotem* fecit pascere porcos, id est, passiones pessimas! Privatus omni consolatione, longe a Deo constitutus, porcorum desiderabas siliquas, et a porcis repellebaris. O certe expertus es id quod dixit Propheta: *Quia malum est et amarum dereliquisse Dominum Deum tuum.*

Utinam semper ante oculos habeamus hæc gravissima S. Petri Chrysologi verba (in Serm. 2): Cupit vivendi libertate gaudere... Beati filii quorum tota est in patris caritate substantia... Ecce quid faciat cupiditas ad sensum præceps. Ecce quemadmodum sine patre census nudavit filium, non ditavit. Census filium tulit e gremio patris, ejecit de domo, exemit patria, spoliavit fama, exuit castitate. Quod vitæ,

quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nil reliquit. *Civem* denique in *peregrinum*, *filium* in *mercenarium*, in *egenum locupletem*, *liberum* mutavit in *servum;* junxit porcis quem a patre piissimo sejunxit, ut *serviret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit*... Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio.

II^um^ PUNCTUM. — Resipiscentia.

In se autem reversus. (Luc., XV, 17.) Bene in se revertitur qui a se recessit. Fuerat enim, cupiditate abreptus, quasi extra se, et captus mente, delirus et insanus; sed *vexatio* dedit ei intellectum, et fames dedit ei sapere. Nec prius, ut notat Nyssenus, rediit ad pristinam felicitatem quam in se rediit, cum sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam.

Tres præsertim prodigum impellebant stimuli ad repetendam domum paternam : consideratio præsentis egestatis ; comparatio suæ ipsius miseriæ cum sorte multorum mercenariorum

in domo patris commorantium ; vividissimus sensus spei, qua confidebat se obtenturum veniam a patre, cujus bonitatem jam sæpe expertus erat.

Hinc concepit *voluntatem surgendi* et *redeundi* ad patrem ; multæ tamen occurrebant animo difficultates : quomodo sustinere poterit irrisiones illorum, qui viderunt abeuntem a domo paterna tanta cum insolentia, et nunc videbunt squalidum, horridum macie, sordidis et laceris vestibus indutum, mendicantem ! — Quomodo sustinere poterit indignationem fratris, cujus nomini, suo male vivendi modo, notam inussit ? — Quomodo sustinere poterit objurgationes patris, cujus senectutem luctu et mœrore opplevit ? Superat has difficultates : *Surgam !* et me humiliabo ; dicam patri : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te ; jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* (Luc., xv, 18, 19.)

Abstinuit, et prudenter quidem, a petendo consilium ab illo cive, cujus porcos pascebat. Sine ullo dubio iste

voluisset eum retinere in sua villa. Promisisset se convenientem ei præbiturum cibum. Objecisset impossibilitatem reditus, ut sic non cessaret exercere in eum suam crudelitatem et fame perimere.

Surgens igitur *venit ad patrem.* Propositum prudens concepit, et sine mora et cum maxima generositate exsecutioni mandavit.

O sacerdos, qui prodigum imitatus es errantem, imiteris ad patrem redeuntem.

1° Cum prodigo seria mente considera quam tristis sit *status peccati.* Nonne sacerdos vivens in peccato, infernum patitur prævium inferno æterno? Quantum tædium! Quanta tristitia! Quanti animæ cruciatus! Quanta vitæ inanitas! Quanta derelictio!

2° Ad exemplum prodigi compara miseriam tuam cum felici sorte illorum sacerdotum qui, fideles in servitio Dei, *spiritu* sunt *ferventes, spe gaudentes,* suaviter Dei fruentes familiaritate. Immo dic: Quanti mercenarii, id est, quot sæculares, quot opifices, et in religione

quot indocti coadjutores abundant panibus, donis gratiæ, spiritualibus solatiis, et *ego fame peribo !*

3° Ergo cum prodigo vividissimam et inconcussam concipe spem veniæ propter infinitam Patris tui bonitatem. Nam si tua culpa amisisti conditionem filii, ipse non amisit conditionem Patris. O cogitationem jucundam !

4° Proinde firmiter propone tibi surgere et ire ad Patrem. Times difficultates ? Recordare regnum cœlorum vim pati et violentos illud rapere. Adstabit utique crudelis tyrannus, cui miserabiliter serviisti. Objiciet mille impedimenta ; contemne, et ex toto corde dicas Deo tuo : *Pater, peccavi in cœlum et coram te ; jam non sum dignus vocari filius tuus !* et tibi eveniet quod evenit prodigo : a Patre tuo benignissime excipieris.

III^um^ PUNCTUM. — **Reconciliatio.**

Pater eum a longe videns venientem, occurrit ei, et insiliens in collum ejus, eum osculatur. Qualis Pater ! et erga talem filium ! Et tu, mi JESU, hæc

narras, et his selectis verbis uteris ut mihi imaginem exhibeas Cordis tui! Quomodo posthac, nisi stultus sim, dubitare potero de venia, de gratia obtinenda?

Filius vult se ad ejus pedes projicere; vult dicere patri quod dicere statuerat; sed pater, quasi non attendens ad ea quæ dicit filius, erigit eum, complectitur amantissime, jubet afferri stolam primam, calceamenta, annulum; jubet occidi vitulum saginatum, præparari prandium magnum; vult omnes lætari secum, et coram omnibus filium in omne jus suum restituit.

En vivam imaginem peccatoris sincere ad Deum revertentis! En bonitatem et misericordiam Dei mei! Sperabo!

Cogita quid prodigus tunc ille senserit. Quis stupor! Quis amor! Quæ præteritæ vitæ pœnitudo! Vix concipi, nedum verbis exprimi potest. Quæ deinceps adhæsio personæ ejus! Quod studium illi placendi, quæ cautio nunquam illi displicendi! An adhuc eum vellet etiam in re minima offen-

dere ? An aliquid nimis videbitur durum, aut laboriosum, aut difficile, si agitur de servitio patris ? Quam generosus nunc et liberalis ad omnia sponte se offerens ! Vide, o Sacerdos, *et fac tu similiter*, aut quid melius si potes, erga Patrem cœlestem, patre hoc terrestri multo teneriorem, qui peccatores fugientes revocat, revertentes adjuvat, venientibus obviam it, reduces cum gaudio recipit, opiparo convivio excipit, Angelos suos hujus gaudii participes facit, prope ad invidiam sanctorum.

Quam debet in te fiduciam et amorem tanta benignitas et misericordia excitare ? Nonne tantum ut prius velis omnia mundi tormenta et infamem mortem sustinere, quam ab eo amplius recedere, qui te revertentem tam benigne recepit !

EXAMEN.

Circa modum imitandi Prodigum post reconciliationem.

I. *Quænam sunt nunc animi dispositiones erga Patrem ?*

1° Pœnitet eum quod talem Patrem reli-

querit, læserit, offenderit. Dolet de insolentia, qua exegit a Patre partem substantiæ. Dolet quod bona dissipaverit ; quod crudeli civi adhæserit et tamquam vile mancipium servierit. Dolet quod notam infamiæ inusserit familiæ, et dolet quidem, non tam ob mala sibi inde suborta, quam ex amore filiali erga Patrem.

Vide, o Sacerdos, an talia soleas experiri animi sensa dum confiteris peccata et eorum tanta facilitate accipis absolutionem ?

2° Habet sine ullo dubio firmissimam voluntatem nunquam jam in posterum offendendi hunc Patrem tantæ misericordiæ.

Et tu, o Sacerdos, an talem conaris excitare in te voluntatem dum peccata confiteris ? An sufficientia das signa *propositi firmi* nunquam redeundi ad vomitum ?

3° Libenter difficilia et dura accipit ubicumque agitur de præstando patri officio. Si quid minus grati, minus jucundi, minus commodi, in victu, in vestitu occurrit, recordatur miseriarum quas passus est in regione longinqua ; in memoriam revocat siliquas porcorum. Hinc *admirabilis patientia.*

An tu etiam, o Sacerdos, identidem te adjuvas recordatione peccatorum ad laborandum magis strenue pro gloria Dei, et ad sufferendam qualemcumque molestiam patienter, cogitando quam multo pejora invenisses in inferno, vel in purgatorio, si a

Deo tuo non obtinuisses veniam peccatorum ?

4° Avide arripit omnem occasionem suum erga Patrem probandi amorem ; sponte offert se ad omnia, ut sic testificari valeat bonam animi dispositionem, quia nunquam e memoria excidet quid fecerit ipse, quid fecerit pater. *Hinc animi generositas.*

An talis est, o Sacerdos, tua erga Deum generositas ex recordatione peccatorum tuorum ?

5° *Minime dubitat* de venia obtenta, de bonitate, de amore Patris. Summa injuria et stultitia fuisset talis dubitatio.

An talis est tua fiducia post acceptam absolutionem ?

An non sinis te forsan cruciari nescio qua inquietudine et diffidentia de concessa peccatorum remissione ?

An non inde tibi abyssus scrupulorum ?

6° Profecto humilior nunc est, cautior et ardentior in amando Patrem.

An hunc felicissimum effectum producit in te recordatio infinitæ erga te divinæ misericordiæ ?

II. Quænam sunt nunc animi dispositiones erga *fratrem* ?

1° Fratrem magni facit sincere ; frater enim fidelis mansit et nunquam reliquit Patrem suum ; nunquam suis fuit, ut ipse,

maculæ et dedecori. Propterea eum prævenit honore et reverentia.

An ex sola recordatione lapsuum tuorum majorem soles concipere existimationem fratrum ? An omnes honoras dicendo intra te: Ego peccavi, et jus non habeo suspicandi fratres quod et ipsi peccaverint.

2° Minime miratur, adhuc minus conqueritur quod meliores partes fratri deferantur, quodque pater ei ostendat majorem fiduciam.

An talis est, o Sacerdos, tua animi dispositio, dum vides alios sacerdotes altius te erectos et apud episcopum majorem nactos esse existimationem ?

3° Omnia quæ potest caritatis officia exhibere conatur fratri, quia optime scit fratrem suum merito offensum fuisse malis suis moribus et dissipatione bonorum familiæ. Insuper quando pro servitio Patris simul aggredi debet negotium, libenter in se suscipit quæcumque creduntur difficiliora et minus grata.

Quænam, o Sacerdos, tua est agendi ratio erga alios Sacerdotes, quibuscum tibi contingit laborare ?

Cogita, o Sacerdos, quam suavis et quam utilis sit peccatorum recordatio, quæ tot ac tantos in corde Prodigi produxit effectus.

RECOLLECTIO XXV.

MEDITATIO.

De drachma perdita et inventa.

1um Prael. In memoriam revocemus Parabolam : *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc., xv, 8, 9, 10.)

2um Præl. Petamus a Deo Patre gratiam intelligendi parabolam et ex ea colligendi optimos fructus.

Ium Punctum. — Parabolæ explicatio.

1° *Drachma* est nummus certæ quantitatis, valens decem denarios usuales, habens in se regis imaginem et superscriptionem. Unde mystice S. Cyrillus Alex.: « Superiori parabola *ovium* docebamur esse *creaturæ Dei*,

qui fecit nos, et cujus oves pascuæ sumus; nunc ostendimur *ad imaginem* et similitudinem Dei facti : drachmæ enim insculpta est *imago regis.* » O sane hæc est gloria nostra conditos nos esse ad similitudinem Dei, et de hac gloria nobis gaudendum est, et conditori nostro gratiæ habendæ sunt summæ. Utinam divina hæc imago nunquam in nobis deturpata fuisset vel etiam deleta !

2° Ut in præcedentibus parabolis, contendit Dominus peccatores benigne et blande esse excipiendos, et favoribus quibusdam peculiaribus adjuvandos, ut cum Deo reconcilientur, quos justis dare non solet.

Totius autem parabolæ hæc est summa: Si mulier cum tanta diligentia drachmam perditam quærit, et de inventa tantopere gaudet, et ad gratulandum amicas et vicinas convocat, multo fortius Deus hominem perditum debet cum magna diligentia quærere, et de ejus inventione gaudere ; et sicut nullus debet murmurare contra mulierem quærentem drachmam perditam, sic

nullus debet murmurare contra Deum quærentem peccatores, sive eos alloquendo, sive cum eis comedendo.

3° *Mulier* hæc non proprie videtur Dei Providentia, ait Salmeron, sed potius *Christi humanitas*. Etsi enim Christus, ad nos comparatus, *caput* nostrum sit, et *pastor* et *sponsus*, et *Pater* futuri sæculi, et *vir*, juxta illud : *Ecce vir oriens nomen ejus* (Zach., VI, 12) ; tamen hoc loco potius videtur *Christi humanitas* : quæ ob tenerum *amorem* quo cum peccatoribus conversata est, et *dolorem*, quem de perditis animabus persentit, et quia *patiendo* nos *parturivit*, pro nobis *debilitata* et *infirmata*, recte *mulieri* assimilari valet. Quatenus enim Verbo æterno conjuncta est, *sponsa* ejus est, et *mater nostra*, alliciens etiam sua pulchritudine et gratia, secundum illud : *Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis ; in me omnis spes vitæ et virtutis.* (Eccli., XXIV, 25.)

Equidem miror, o mi JESU, quod, ut nobis comprobares tuum erga nos

amorem et felicitatis nostræ studium, dignatus sis te comparare, non solum *patri* benignissime excipienti filium prodigum, et *pastori* humeris reportanti ovem perditam, sed *mulieri* drachmam perditam cum maxima diligentia quærenti. Hæc tua est erga nos benignitas, de qua ex toto corde gratos nos esse oportet.

IIum Punctum. — Parabolæ applicatio ad Christum.

Tota hæc parabola mirifice invenit suam applicationem in Christo Domino.

Decem ergo *drachmas habuit*, quia novem Ordines sunt Angelorum ; sed ut compleretur Electorum numerus, *homo* decimus est creatus.

Et quia *imago* in drachma exprimitur, *mulier drachmam perdidit*, non sane sua culpa, sed quia homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit.

Quotidie adhuc ista drachma perditur, vel in pulvere divitiarum, vel in luto luxuriæ, vel in diverticulo erroris

cujuscumque. O sacerdos, an non forsan fuisti tu illa drachma perdita, etiam a quo evectus es ad sublimissimam dignitatem sacerdotii ? de quo certe erubescendum tibi esset et vehementer dolendum.

Accendit autem mulier lucernam, quia Dei Sapientia apparens in carne, lumen deitatis accendit in *testa* nostræ mortalitatis, ad quærendum hominem perditum, et reducendum eum ad beatitudinem. Ista autem lucerna accensa *refulsit miraculis, inflammavit dictis, illuminavit exemplis;* collocatus enim erat homo *in obscuris* et *umbra mortis :* unde istam oportuit accendere lucernam.

Et everrit domum conscientiæ; quia mox ut ejus divinitas per *carnem* claruit, omnis se conscientia nostra concussit. Everrit autem *per se* et *per suos*, commovendo domum conscientiæ, incusso timore servili, ut docet S. Gregorius, ut ita per *timorem* ad *dilectionem* Dei præparetur. Quapropter non immerito scripsit aliquis similitudinem esse *scopam* inter et *verbi Dei prædi-*

cationem. Nam scopa ex multis arbustis colligatis constat, ita prædicatio verbi Evangelici ex multis sententiis simul junctis cor ipsum tangentibus, ut scopæ, tollit immunditias. Simul verbum Dei falsas opiniones de Deo, de ejus providentia, de animarum immortalitate, de fine nostro et via ad illum consequendum tenenda, de honore, de divitiis et deliciis radicitus evellit.

Et quærit diligenter, donec inveniat eam : perseverantia in quærendo designatur.

Invenit autem, quando verbo Dei cor tangente, *sonat* drachma, erumpunt lacrymæ, fit publica confessio, et apparet vitæ prorsus commutatio.

Et quærit diligenter : diligenter quæritur quod intime diligitur; sic vero ostendit Christus dilectionem suam ad nos, ut animam suam pro nostra redemptione poneret. Unde subditur : *donec inveniat*, quia non destitit quærere donec inveniret ; quæsivit nos usque ad contumelias, usque ad minas, usque ad flagella, usque ad mortem, usque ad inferna. Nec mirum si eam

invenerit, quam utique ad inferna, cum divinitatis lucerna ardenti quæsivit.

Et cum invenit, convocat *amicas* et *vicinas*, scilicet supernas virtutes, quæ *amicæ* sunt, ut exsequentes voluntatem ipsius, et vicinæ, quia ei per gratiam continuæ visionis appropinquant; quas ad congaudendum invitat et gaudii participes facit, quia congaudent de peccatoribus ad eum conversis, cum Deus de seipso habeat gaudium, et Angeli gaudeant in eo.

III^um^ PUNCTUM. — **Conclusio.**

Quis sacerdos non intelligat hanc parabolam non solum Christo applicari debere, sed sibimetipsi? Quot drachmæ tibi commissæ a Deo! et ecce, forsan non unam, sed plures amisisti drachmas, incuria tua, tua infidelitate, neglectu prædicationis, neglectu visitationis, neglectu correctionis paternæ, immo et defectu pietatis et zeli! Et non es sollicitus? Et non omnem moves lapidem ad drachmas perditas quærendas? An non exstincta est lucerna tua, et non curas de accendenda ea? Indiffe-

rens manes, quasi ad te non pertinerent drachmæ ? Eas tamen de manibus tuis sacerdotalibus requiret Dominus, dum dicet tibi : *Redde rationem villicationis tuæ.*

E contrario, quam felix erit sors tua, si, cum Christo, diligenter quæsiveris drachmam perditam eamque inveneris. Gaudebis, et tecum gaudebunt Angeli et ipse Deus.

Erit gaudium coram Angelis. Gaudent Angeli, quia cernunt Patrem æternum gaudere, dum videt filium concipi *contritione*, partu edi in lucem *confessione*, lactari sanctæ vitæ *conversatione.*

Gaudebit Dominus Jesus de reformata imagine, de recuperato fratre, de membro sanato, de fructu suæ passionis et mortis.

Gaudebit Spiritus sanctus de reædificato templo, de expulso inde idolo Dagon, de domo mundata.

Gaudebunt Angeli de Dei gloria illustrata, de reparata hac anima, de fructu custodiæ suæ, de consortio, de glorificando Deo in perpetuum.

Gaudebunt beati homines de fratri-

bus recuperatis, de fructu orationum suarum, de Christi gloria dilatata.

IV^um^ PUNCTUM. — **Conclusio altera.**

Ex tribus ultimis, quas consideravimus, parabolis nasci debuit in cordibus nostris ingens Divinæ Bonitatis admiratio. Non igitur inutile erit sacerdoti neque ingratum ante oculos habere egregiam quamdam similitudinem, qua non raro usi sunt viri sanctissimi ad melius explicandam fidelibus stupendam erga nos Christi caritatem.

Si quis in magna silva, amissa via, erraret, illeque esset paupertate et febri, vel lepra oppressus, et nocte præoccupatus, cogeretur nocte illa in nemore permanere, ubi certissimum sibi periculum, non solum a fame, frigore et infirmitatibus, quibus premitur, sed etiam a latronibus et feris bestiis, quibus ille locus scatet, imminere cognosceret, in quantis ille animi angustiis versaretur! Quam se miserum et infelicem clamaret! Quos non gemitus et lacrymas effunderet, divinam opem implorans ? Jam cogita

virum aliquem pietate et viribus insignem, magnam quamdam facem manu gestantem, quæ tenebras longe propelleret, illi misero et infelici assistere, atque illi dicere : Veni, et sequere me ; ego novi viam, ego te salvum et incolumem educam, et in hospitium meum, ubi lauta et splendida cœna mihi præparata est, recipiam. Proinde veni mecum ; ego tibi face præibo ne vel ad lapidem, lutum, spinasve impingere valeas. Quod si infirmus responderet : Et unde mihi constare potest quod tu hanc viam noveris? ille vero apertis rationibus comprobaret, viam illam sibi esse notissimam. Quod si adhuc ille non acquiesceret, et replicaret : Etiamsi tu viam noveris, quomodo sciam te viribus tantum posse, ut me salvum in hospitium perducas, cum hæc silva et latronibus, et feris rabidis quæ homines devorare solent, referta sit ; difficileque sit te unum hominem tot latronibus aut feris posse resistere? Profecto stultissimi. inconsiderantis atque incivilis hominis esset hæc interrogatio.

Ponamus tamen virum illum fortem, qui cum face apparuit, tanta bonitate esse præditum, ut argumentis certis comprobaret se id facile consecuturum et sibi vires adesse, quibus etiam majora possit efficere, si opus sit. Constituamus, tertio, infirmum excusationes obtendere a magnitudine febris qua opprimitur, et a lepra qua afflictatur ; vir tamen fortis salutem illius pauperis et infirmi sitiens, promittat se eum brevi tempore ab omni morbo liberaturum, modo illum sequi velit. Ponamus quarto, responsare infirmum se pedibus consistere non posse, et se malle potius ibi perire, quam in illius comitatu iter, quod in silva est, absolvere. Si jam vir fortis tantæ bonitatis et caritatis esset, ut offerat se illum humeris suis gestaturum, et ex nemoris periculo erepturum ; postremo infirmus in responsando pergat et dicat nequaquam se quod petitur, præstiturum, nisi mille auri talenta sibi numerentur ; quis hic se contineat a risu ? Jure enim debebat infirmus mille aurea talenta (si tantum in bonis habuisset) illi

pendere, ut eum vel comitem viæ haberet, a quo deduceretur. Verum fingamus ita se rem habuisse, ut vir ille bonus eam summam certo numerandam polliceatur, atque ita tandem ille cedens, et insidens collo et humeris ejus, et lepræ contagio illum inficiens, gestari se permittat ab eo, qui tandem illum salvum et incolumem in hospitium perduceret, ubi curata omni infirmitate ad cœnam lautam reciperet, et promissam auri summam acciperet ; quis hic non exclamaret, et laudibus celebraret atque commendaret viri illius fortis caritatem incomprehensam et inauditam liberalitatem, ac benignitatem non in cœlum usque eveheret ?

Sed hæc parva sunt, si adeo quæ in his repræsentantur, conferre velimus. Quis enim hic infirmus, et miser, et in hieme, et in nemore media nocte errans, nisi quivis nostrum ? qui Adæ peccato a via justitiæ aberravimus, et peccatis personalibus morbos insanabiles contraximus, paupertatem summam incurrimus, et ingenti cæcitate percussi in densissimis salutis nostræ tenebris

versamur, prorsus ignorantes unde venerimus, ubi consistamus, quo pergere debeamus, in periculo certissimo constituti, ut a lupis inferni devoremur, ut illis in perpetuum præda fiamus, et in ludibrium et contemptum illis simus. Ad nos igitur, tamquam in hujus mundi silva aberrantes, Filius Dei, divinis viribus et divina sapientia præditus, magno cum lumine venit ; ita ut populus, qui ambulabat in tenebris, viderit lucem magnam, et habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta fuerit eis.

Cœpit igitur Filius Dei ad nos venire, et invitare nos ad sui tutissimam sequelam : *Ego sum*, inquit, *lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Cœptum est dubitari, num ille verus Messias esset, et certo viam nosset, qua a peccato, et dæmonis tyrannide eripere posset, et ad beatitudinem certam viam agnosceret ; sed ille magnis argumentis, et Scripturarum testimoniis se verum Messiam, et viæ ad vitam ducentis cognitionem habere demonstravit. Deinde dubitatum est, an ille tanta

posset, ut peccata remittere, et hominem justificare, atque æterna beatitudine remunerare valeret. Sed ille hanc potestatem sibi inesse, innumeris atque admirandis signis comprobavit : multos infirmos, quorum salus deplorata erat, sanando, ut se posse animas a peccato sanare ostenderet : mortuos nonnullos ad vitam revocando, quo se omnium corpora in die postremo suscitaturum ostenderet. Tertio, sanitatem a contractis morbis spiritualibus, omnibus ad se venientibus offerebat : *Venite ad me*, inquit, *omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Exemplo etiam peccatorum, vitam in melius per pœnitentiam mutantium, idem indicavit, ut peccatricis, publicani et aliorum. Quarto, obtulit se tamquam jumentum Samaritani ad gestanda onera peccatorum nostrorum, quibus illum leprosum reddidimus, juxta illud : *Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum*, et gratia sua, et virtute Paracleti nobis donati efficit, ut gravem sarcinam, quæ prius conscientiam opprimebat, non

sentiamus, et onera tentationum, sive a carne, sive a mundo, sive a diabolo ingruentium facile superemus, facientes cum tentatione proventum. Denique recipit nos in hospitium Ecclesiæ suæ ad lautam mensam verbi Dei, et ad cœnam Dominicam Eucharistiæ. Et in cumulum tantorum donorum addidit certissimam vitæ æternæ promissionem, atque spem et Spiritum S. donavit in pignus et arrabonem vitæ æternæ; in quam aliquando recepti, tamquam talentis auri in æternum ditemur, et perfruamur. Propter quæ omnia nobis merito est exclamandum, et in perpetua gratiarum actione manendum, et cum Davide dicendum: *Misericordias Domini in æternum cantabo*, et rursus: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus*, etc. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua. Fa-*

ciens misericordias Dominus. Quas gratiarum actiones ut agnoscere, et pendere valeamus, præstet Dominus Jesus Christus, cui cum Patre et Spiritu sancto detur omnis honos, gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXAMEN.

Circa proprietates ex nostro erga Deum amore profluentes.

Utilissimum esse judicamus pio sacerdoti identidem se examinare circa *proprietates* ac *affectus* ex nostro Dei amore, tamquam vena, profluentes. Hæ autem proprietates sunt sequentes.

1° Amor Dei elidit atque exstirpat omnem male ordinatum affectum et propensionem ad res creatas. — An aliquid simile in me experior vel expertus sum ?

2° Amor Dei suscitat in homine ardens desiderium multa pro Dei nomine perferendi. — An sentio in me hoc desiderium ?

3° Amor Dei in adversis rebus producit gaudium, cum videat se homo adversarum rerum patientia maxime Deo similem reddi, cujus vita in terris fuit continuis laboribus ac molestiis exercitissima. — An talis est in rebus adversis animi mei dispositio ?

4° Amor Dei producit etiam benevolen-

tiam in eos qui nos insectantur atque exagitant ; quippe qui nobis occasionem offerant ut Deo similiores efficiamur. — An talem in me deprehendi amorem erga adversarios meos ?

5° Amor Dei in homine gignit oblivionem sui earumque rerum quæ ad corporis commoditates ac necessitates spectant. — An non potius in me apparet plerumque nimia erga ea, quæ ad corpus et ad valetudinem pertinent, sollicitudo ?

6° Amor Dei non raro excitat in homine cupiditatem vivendi ea solum de causa ut Deo servire possit aut animas salvare. — An non cupio ego vivere diutius, ut diutius rebus præsentis vitæ frui valeam ?

7° Amor Dei nutrit in corde timorem ne quid admittatur quod ullo pacto Deo displicere posset. — An ita jam delicata conspicitur in me erga Deum dilectio?

8° Ad magnos celeresque in virtute progressus faciendos urget Dei amor; ubi tamen observandum, eas plerumque virtutes melius fundatas esse altiusque agere radices, quæ *longo et assiduo labore* conquiruntur. — An ex hoc fonte assuevi haurire beatitudinem a Christo Domino adeo laudatam, nempe *sitim* et *famem* justitiæ, id est perfectionis et sanctitatis ? Nonne forsan in via virtutis visus sum imitari turpiter *testudinis* vel *limacis* lentitudinem ? Utinam

jam ex corde meo prorumperet tamquam vividissima flamma, S. Joannis Berchmans celebris exclamatio : Ego volo fieri sanctus, magnus sanctus, brevi tempore ! Rogo te, o cor JESU, per Matrem tuam immaculatam, ut hæc talis ac tanta exclamatio eam habeat in me efficaciam, quam habuit in sancto isto juvene. Amen.

RECOLLECTIO XXVI.

MEDITATIO.

De decem virginibus.

Ut testatur historia, olim sponso, honoris causa, addebantur comites juvenes egregii et ornati, sponsæ vero virgines, eæque sæpe decem numero. Porro nuptias celebrabant noctu ; quocirca sponsus vespere adibat domum sponsæ, ubi honorifice et laute a parentibus sponsæ exceptus, inde sponsam in ædes suas, aut, si illæ angustæ forent, in amplam convivii nuptialis domum deducebat, ibique nuptias celebrabat ; juvenes autem et virgines utrique adventanti honoris causa obviam prodibant, proferentes cereas tædas vel lampades accensas. Ex hac consuetudine desumpsit JESUS præsentem Parabolam. (Matth. XXV.)

1um Præl. In mentem revocemus totam parabolam.

2um Præl. Petamus a Deo gratiam eam rite intelligendi eamque nobismetipsis fructuose applicandi.

I^um^ PUNCTUM. — Parabolæ explicatio.

Hæc parabola eo tendit ut nos reddat sollicitos et vigilantes ante *incertum* diem judicii, ne forte *inopinatus* vel *repentinus* nos præveniat.

Sensus autem parabolæ est: dies judicii *imparatos* multos comprehendet, qui *nunc* quidem *sapientes* existimantur, sed *tunc* aliorum auxilium frustra implorabunt, qui nunc sibi et aliis sufficere videntur ; et multis clausa erit janua, qui nunc aliis aperire existimantur.

1° *Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus.*

Regnum cœlorum, hic significat *Ecclesiam militantem*, quæ tunc futura est *triumphans*. Igitur tunc similiter agetur cum *fidelibus* Ecclesiæ perinde ac si decem virgines pararent se ad festum nuptiale.

Virgines sunt omnes fideles sive *Christiani*, juxta illud Pauli : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* (II Cor., XI, 2.)

2° *Exierunt obviam sponso et sponsæ.*

Sponsus est *Christus*, sponsa est Ecclesia; cujus in hac vita aguntur

sponsalia, sed in futura resurrectionis gloria erunt *æternæ nuptiæ.*

Aliqui vero per sponsam, beatissimam et purissimam Virginem ejus Matrem intelligunt, quæ cum Filio suo et Sponso Ecclesiæ veniet in gloria et potestate ad judicandum ; cui etiam apostoli et magni sanctitate viri hærebunt, qui etiam simul cum Christo et Matre judicabunt nationes et dominabuntur populis.

Decem numerantur virgines, quia *denarius* multitudinis et universitatis est symbolum, et familiaris S. Scripturæ ob Decalogum legis divinæ.

3o *Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes.*

Fatuæ dicuntur, quia *imprudenter* et *stulte* egerunt ; nam cum obviam irent sponso cum accensis lampadibus, neglexerunt oleum necessarium ad fovendum lumen lampadarum : unde lampades earum exstinctæ fuere, et ipsæ confusæ sine lumine in tenebris occurrerunt sponso.

Prudentes vero acceperunt oleum ; unde accensas tenuerunt lampades, cum

eisque sponso obviavere : *prudenter* ergo se gesserunt.

Atqui *virgines* sunt quilibet *fidelis ; prudentes*, illi qui habent *fidem* cum *operibus* misericordiæ, caritatis atque aliarum virtutum ; *fatuæ*, qui solum fidem habent sine bonis operibus ; vel, ut ait Ludolphus Saxonius, *fatuæ* sunt qui vanitati quinque sensuum servierunt, et opera sua bona non ad finem debitum ordinantes, propriam gloriam et favorem laudemque hominum, vel quæstum principaliter in eis intenderunt ; *prudentes* sunt illi qui veritati servierunt et opera sua bona ad finem debitum, scilicet, ad gloriam Dei principaliter direxerunt.

4° *Cum lampadibus.*

Lampas est mens fidelis sive ipsa fides ; *oleum* sunt bona opera, sine quibus fides *mortua* est et quasi *exstincta*, cum iis vero *viva* et *accensa ; lux*, sive ardor lucernarum, est caritas ; hæc autem alitur studio bonorum operum, sicut flamma lampadum alitur oleo ; *vas* est conscientia vel anima fidelis ; atque hac de causa moribun-

dis candelam ardentem in manus damus, significantes vel optantes ut habeant fidem cum operibus, ut quasi sponsæ cum lampade accensa Christo Domino, quasi sponso, decenter digneque occurrant.

5° *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.*

Mora Christi Sponsi est *tempus* pœnitentiæ et bonorum operum, quod singulis in hac vita concedit, ideoque differt mortem diemque judicii.

Dormitaverunt, id est, inceperunt somno premi, necdum tamen se penitus voluerunt somno dare. Et *dormierunt*, id est, penitus somno devictæ, in plenam quietem resolutæ sunt. Sicut dicitur in Psalmis: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.*

6° *Media autem nocte clamor factus est.*

Clamor hic significat tubam Archangeli suscitantis mortuos e sepulcris. *Media nocte*, id est, inopinate, hominibus non cogitantibus et quasi dormientibus veniet Christus Judex.

7° *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.*

Scilicet ad clamorem et tubam Archangeli, omnes fideles resurgent. Hæc lampadarum assumptio, ait S. Hilarius, animarum est reditus in corpora, earumque *lux* conscientia boni operis elucens, quæ in vasculis corporum continetur.

8° *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro;* fatuis autem petentibus prudentes negaverunt, non ex invidia aliqua, sed ex prudentia, nempe sibi magis providentes et *communi* gaudio nuptiarum.

9° *Et clausa est janua.*

Hæc porta clausa significat in hac vita bene agendi, pœnitendi et merendi esse tempus; hoc vero claudi in morte, et clausum fore in die judicii.

Merito observat Ludolphus triplicem esse januam, scilicet *misericordiæ* ad indulgendum, quæ modo omnibus aperitur; *gratiæ* ad merendum, quæ modo omnibus offertur; *gloriæ* ad intrandum, quæ modo omnibus pœnitentibus reseratur. Ergo clausa est janua, exclusis reprobis; inclusis electis, operibus consummatis.

Quam apte dixit Gregorius Magnus: « O si sapere in cordis palato possit, quid *admirationis* habet quod dicitur : *Venit* sponsus! Quid *dulcedinis: Intraverunt cum eo ad nuptias!* Quid *amaritudinis: Et clausa est janua!*... Tunc janua regni lugentibus clauditur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur... *Ibi* a Deo non potest mereri quod petit, qui *hic* noluit audire quod jussit. » (Greg. M., Hom. 12 in Evang.)

10° *Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis.*

Id significat reprobos tunc summe fore anxios et perculsos, ita ut in omnem partem se versent, nunc summis precibus implorando misericordiam judicis, nunc deplorando negligentiam vitæ præteritæ, nunc deprecando spem salutis.

11° *At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.*

« Novit Dominus eos qui sunt ejus, et qui ignorat, ignorabitur. Nescit Dominus operarios iniquitatis ; et licet virgines sint et secundum duplicem

intelligentiam de corporis puritate et de confessione veræ glorientur fidei, tamen, quia oleum non habent scientiæ, sufficit eis pro pœna quod ignorantur a sponso. » (S. Hier., in h. l.)

IIum Punctum. — **Fructus ex parabola colligendi.**

1° *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

His verbis indicatur *scopus, finis* et *fructus* Parabolæ: nempe omnes fideles stimulare ad *vigilantiam* et *studium bonorum operum*, quibus se comparent ad diem mortis et judicii, utpote *instantem* et *incertum*. Nam « *qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit*, » ait Greg. M. loco modo citato.

Ergo, o Sacerdos, vigilantes assidue et nos, cogitemus *mortem esse certam, diem vero mortis esse incertum*. Idem dico de die judicii, tum particularis, tum universalis : quare ad utrumque nos comparemus *assidue*, virtutibus et bonis operibus incumbendo.

2° Specialius attende, o Sacerdos, ad sequentia: *a*) *Omnes* fuerunt virgines;

omnes acceperunt lampades ; *omnes* exierunt obviam sponso ; *omnes* moram faciente sponso dormitaverunt, et tamen quinque erant *fatuæ*, quinque *prudentes*. Unde discrimen, quæso? Quia non omnes sumpserunt oleum in vasis suis. Utique fides lampas est, sed non sufficit. Imprudens es, si non etiam oleum *caritatis* accipis et ea media quæ te coram sponso Deo *securum* reddant, ne lampas exstinguatur ; nam *fides*, si non *opera habeat, mortua est.* (Jac., II, 17.)

b) Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Quare omnium sollicitudo ? Quia coram sponso comparendum erat. Tunc fatuæ suum errorem viderunt, quod oleum deficeret bonorum operum. Sed serum nimis est tunc velle incipere, cum desinendum est.

c) Fatuæ dixerunt prudentibus : *Date nobis de oleo* vestro ; sed frustra; *aliena* opera *tibi* non proderunt, ubi retribuitur *unicuique* secundum opera *sua*. Putas, o Sacerdos, non doluisse fatuas? Solatio plenas fuisse prudentes?

In quarum sorte desideras esse, earum sollicitudinem assume.

d) Domine! Domine! Eheu! pulchra verba nihil juvant ubi pensantur opera. Non proderit tunc verbis profiteri Dominum, quem in vita factis negaveris. Ergo *nunc*, dum sunt dies salutis, dum tempus acceptabile, insistendum est bono.

3° Omnes recenter obiverunt sacerdotes exercitia sacri secessus;applicent proinde sibi Parabolam. Ecce per ista exercitia accepimus lampades nostras *reparatas*, *renovatas*, veritates scilicet quinque, quæ nunc splendent oculis mentis tamquam lampades vividissimæ: *finis...peccatum...infernus...judicium... mors.* Hæ lampades, ni caveamus, exstingui possunt : addendum igitur est *oleum* conveniens. *Oleum* voco *convenientes praxes* quasdam, quæ conformes sunt his quinque veritatibus.

Oleum *primæ* lampadis est :

1° Recta intentio in omnibus ;

2° Zelus pro gloria Dei ;

3° Conformitas voluntatis nostræ cum voluntate divina.

Oleum *secundæ* lampadis est :
1° Duplex examen ;
2° Frequens confessio ;
3° Confessio generalis.
Oleum *tertiæ* lampadis est :
1° Usus pœnitentiæ ;
2° Strenuus labor ;
3° Patientia in adversis.
Oleum *quartæ* lampadis est :
Apertura cordis seu ratio conscientiæ identidem reddita patri spirituali.
Oleum *quintæ* lampadis est :
1° Frequens meditatio de morte ;
2° Menstrua recollectio ;
3° Annuus secessus ;
4° In rebus majoris momenti, consultatio mortis.

EXAMEN.

Circa signa hominis spiritualis.

Ex sequentibus signis specialiter probatur homo *vere spiritualis*, qualem esse decet omnem sacerdotem.

1° Spiritualis homo est, qui tam *cito* et *tantum* fugit locum ubi *lædi* potest *in spiritu*, sicut ubi offendi potest *in corpore; tam libenter* studet medicari spiritui, sicut corpori, quia quanto dignior est spiritus corpore, tanto magis cavendum spiritui quam

corpori a læsione. — An tu es ille vir, o sacerdos ?

2° Spiritualis homo est, cujus spiritum cibus spiritualis, sive sit oratio, sive prædicatio, sive Scriptura, sive lectio, sive Corpus Christi, sive divinum Officium, sive recitatio Rosarii, *tantum delectat* et *confortat*, sicut corporalis cibus corpus, et qui tam invitus negligit tempus cibi spiritualis, sicut tempus cibi corporalis. — An tu es ille vir, o sacerdos ?

3° Spiritualis homo est, qui tam diligens est circa spiritum, sicut homo carnalis circa carnem. Solliciti enim sunt homines carnales ut in *singulis temporibus* habeant necessitatibus corporis in victu et vestitu, hieme, ætate, competentia ; ita homo spiritualis sollicitari debet qua gratia indigeat in adversitate, et qua in prosperitate ; qua egeat ad amicos, et qua ad inimicos ; quomodo habeat se solus cum Deo, et quomodo inter homines conversando. — An tu es ille vir, o sacerdos ?

4° An non forsan pertines ad classem illorum qui *ex parte* tantum spirituales sunt, sed *non omnino*, ut loquitur S. Ignatius ? Bona quidem operantur, sed *dimidii operis* sunt : alii largitatis gratiam sunt adepti, sed carnis incontinentia sunt lubrici ; alii vero sunt corpore casti, sed avaritiæ æstibus sunt cupidi ; alii autem gratiam lenitatis

habent, sed rancore animi sunt pusillanimes ; alii vero injurias acceptas cito ignoscunt, sed minus caute cor custodiendo citiusque irascendo, rixas provocant ; alii quod Deus singulis largiendo donavit, in hoc quasi proprio labore acquirentes gloriantur ; alii corpus in abstinentia affligunt, sed superbiam, avaritiam, invidiam et alia nefanda admittunt, vel detrahendo proximo, quasi carnes illius cum sanguine comedunt. Sic in multis. « *Qui optimus est in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe.* » (Mich., VII, 4.)

5° An adhibes, o sacerdos, ea per quæ, qui nondum plene spiritualis est, tandem perfecte spiritualis evadere possit? Sunt autem sequentia.

a) Clara et perfecta notitia tuorum defectuum et infirmitatum.

b) Ira magna et fervens contra tuas naturales malas inclinationes et voluntates.

c) Timor magnus, quem homo debet habere de offensis hactenus contra Deum admissis.

d) Magnus timor et tremor ne per tuam fragilitatem relabaris in similia vel majora peccata.

e) Fortis disciplina, aspera correctio ad regendum quinque sensus corporis et totum tuum corpus subjugandum in obsequium JESU CHRISTI.

f) Vitare sedulo omnem personam et omnem aliam creaturam quæ impellit te non solum ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem spiritualis vitæ.

g) Dulcis et continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepisti et quotidie recipis a Domino JESU CHRISTO, cum gratiarum actione.

h) Nocte et die stare in oratione.

i) Singulari affici pietate erga sanctissimum Cor JESU et erga Beatissimam Virginem Mariam, quæ Mater est divinæ gratiæ.

Quis est hic, et laudabimus eum. (Eccli., XXXI, 9.)

RECOLLECTIO XXVII.

MEDITATIO.

De parabola talentorum.

1um Præl. Totam seriem parabolæ in memoriam revocemus prout eam contexuit Jesus. (Matth. xxv.)

2um Præl. Petamus a Jesu ut dignetur ipse nobis ita explicare Parabolam ut ex ea colligamus fructus uberrimos sanctitatis.

Explicatio parabolæ.

Scopus præsentis parabolæ est ostendere quam exactam donorum suorum *rationem* expetiturus sit Christus ab *otiosis*, et quod quantumque *præmium* daturus *negotiosis*, qui donis suis strenue ad Dei gloriam usi sunt.

Homo hic *peregre proficiscens* Christus est; Christus enim profectus est peregre, cum in cœlum ascendit, quasi longo tempore a terra et Ecclesia abfuturus.

Servi, intelliguntur *omnes fideles*, sive ex Judæis, sive ex gentibus oriundi sint.

Per *talenta* intellige *quælibet Dei*

dona, sine quibus nihil operari possumus. *Dona* proinde sunt :

1° *Gratiæ*, tum *gratum facientes*, uti sunt fides, spes, caritas, virginitas, cæteræque virtutes ; tum *gratis datæ*, ut sunt potestas faciendi miracula, apostolatus, episcopatus, sacerdotium, donum linguarum, discretio spirituum, donum prophetiæ, etc.

2° *Dona naturæ*, ut sunt subtile ingenium, acre judicium, firma sanitas, robur, prudentia, industria, scientia, eloquentia.

3° *Dona* et *bona externa*, uti sunt opes, honores, status vitæ, v. g. magistratus, principatus, regnum, etc.

Hæc omnia enim Deus uni ut quinque, alteri ut duo, tertio ut unum, id est, *impariter* et *inæqualiter*, pro libitu, distribuit, hoc fine ut quisque eis utatur ad Dei gloriam et suam aliorumque salutem ; sic enim illa adaugebit, tum *in se*, tum in *merito* et *præmio*.

Secundum propriam virtutem. Id est secundum *capacitatem* seu *captum* naturæ, vel fidei, vel humilitatis, quæ vas est ad omnia dona recipienda dispo-

nens. Hanc autem *dispositionem* ab Ipso habent a quo et *talenta*. Nulli præterea talentum dedit, cui vires non dederit ad ejus talenti usum. Non tam considerat Dominus *lucri magnitudinem*, ut ait in hunc locum S. Hieronymus, quam *studii voluntatem*. Hinc fieri potest ut is qui duo accepit, *strenue* et *continue* cum iis negotiando, plus *mereatur* et *accipiat*, quam is qui quinque nactus est, si *tepide* et *raro* iis utatur.

Hanc *rationem* cum quolibet *privatim* init Christus in morte et judicio particulari cujusque animæ ; *publice* vero inibit in die Judicii universalis.

Tria consideremus :

1° Talentorum distributionem ,

2° Rectum talentorum usum ;

3° Talentorum neglectum.

I^um^ PUNCTUM. — **Talentorum distributio.**

1° *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.* (Matth., XXV, 14.)

Quanta in hoc domino bonitas et quanta famulorum ipsius felicitas ! Hi nihil prorsus possidebant, et ecce ab

hero accipiunt bona, quibus eis liceret et *laborare* et *congruam mereri mercedem*. Nonne unusquisque nostrum ille putandus est servus qui de suo fundo nihil habens, quidquid habet in ordine *naturæ*, a Domino suo creatore accepit ; quidquid autem possidet in ordine *gratiæ*, nonne id accepit a Domino suo Christo, qui, ascendens in cœlum, Ecclesiæ suæ reliquit bona sua, sua merita, thesaurum gratiarum suarum, suos sermones, suas veritates, sua pretiosissima sacramenta ? O Domine Jesu, dignas volumus tibi gratias agere pro tanta bonitate, et simul obsecramus te ut adjuves nos ad *rite* et *sapienter* utendum tot beneficiis, quibus non cessas nos cumulare.

2° *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* (Matth., XXV, 15.)

Distribuit igitur ille dominus bona sua servis *diversimode*. Profecto nullus habet quod conqueratur, cum Dominus distribuerit bona sua omnibus, nullo excepto ; neque ullus merito conqueri poterit quod non omnibus et singulis

eamdem quantitatem bonorum Dominus commiserit. Qui minus accepit, non invidere debebit illi, cui plus donatum fuit; nam qui plus accepit quam alii, *majorem* suscipere debebit *laborem*, et *rationem* donorum acceptorum reddere debebit *multo strictiorem*. Qui autem plus quam alii accepit a Domino suo, immerito alios qui minus acceperunt contemneret; fieri enim potest ut quis, licet minus acceperit, majorem, o mi Frater, quam tu adhibuerit curam et industriam in administrandis bonis Domini sui, et fideliorem quam tu se ostenderit. Omnes igitur, quotquot sumus, gratias agamus Deo nostro pro talentis unicuique nostrum concessis, iisque quam fructuosissime uti studeamus, ut cum firma fiducia, tempore statuto, Domino rationem eorum reddere valeamus.

3° *Unicuique secundum propriam virtutem.*

Unde ergo hæc talentorum diversitas? Unice adscribenda est *divinæ sapientiæ*. Etenim in suorum bonorum distributione, respectum non habet

Deus *ad dispositiones naturales*, quas ipse Deus indidit nobis, sed ad *suæ gloriæ manifestationem*. Ecclesia tota quanta unum est corpus *diversis* constans *membris*, quæ quidem membra singula proprias suas habent functiones. Propterea eis congrue concedit Deus talenta pro *necessitate functionis*, quam a singulis expetere dignatur. *Numquid*, ait Paulus, *omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* (I Cor., XII, 29, 30.)

Caveamus sedulo ne hanc divinam harmoniam perturbare videamur, fratribus *invidendo* quod altiori quam nos gaudeant munere. Non etiam facile irruamus in aliorum officium invidiosa crisi, eorum verba et facta carpendo. Nobis sacerdotibus unica esse deberet *ambitio*, scilicet omni conatu quam optime talentis acceptis uti, et quam perfectissime munus a Deo nobis demandatum adimplere. Si vero ad altiorem

perfectionis gradum nos evehere velimus, nostro fideliter fungentes officio, *totam Ecclesiam* amplectamur ardentissima caritate, particulari hoc nostro quantulocumque officio ad *bonum universale* concurrentes, sicuti membra sua functione speciali ad bonum totius corporis concurrunt.

II^um^ PUNCTUM. — **Rectus talentorum usus.**

1° *Et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* (Matth., XXV, 15-17.)

a) Admiremur in primis quanta *promptitudine* illi boni servi se ad laborem accingant. Statim enim ac abivit herus, nulla interposita mora, quærunt sedulo qua ratione pecuniam sibi ab hero commissam utilius et fructuosius collocare possint; et hac ratione inventa, se totos impendunt ad peragendam quam felicissime susceptam *negotiationem.* Hinc intelligere est nullo modo nobis deperdendum esse tempus vel minima *cunctatione:* Statim igitur ac

nobis injungitur aliquod opus peragendum, illud confestim aggrediamur.

b) Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum. (Matth., XXV, 19.)

Ergo *diu* et *constanter* laborem sustinuerunt illi servi fideles, quin tædio aut fatigatione vel ad momentum quidem cedere visi sint. Quam sæpe accidit ut rem propositam ardenti incipiamus animo ; sed, suborta aliqua difficultate, non in ea perseveremus. Quam multi, de quibus dicendum esset eos pro sua gloria, pro sua salute et pro Ecclesiæ salute *diutius* vixisse. Adeo rara est virtus constantiæ! Utinam saltem nostra sit!

c) Labor tam promptus, et tanta cum constantia protractus, non potuit non plenissimo coronari successu. Ecce, qui quinque talenta acceperat, quinque alia lucratus est, et qui duo habebat, hæc et ipse duplicavit. Quam merito de hoc lucro gavisi sunt! Utinam, dum animum nostrum quatit tentatio nos in opere relaxandi, mente prævideremus exitum felicem nostræ perseverantiæ!

Sine dubio, ferventius et animosius opus quod incepimus, ad absolutionem usque perduceremus.

2° *Et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum... Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.* (Matth., XXV, 19, 20, 22.)

Sine ulla animæ repugnantia invitanti domino ad rationem negotiationis suæ reddendam, respondent. Lætantur quod ad se dignetur dominus vocare ; intelligunt enim finem laborum suorum instare, neque eos pœnitet totam vitam famulatui sui domini impendisse. Accedunt ad eum sine timore. Quid enim timerent a domino, quem semper dilexerunt et pro quo strenue laboraverunt ? Reddunt igitur rationem suæ negotiationis *confidenter;* nam domino suo non solum talenta sibi concessa offerunt, sed et fructum quem ex talentis retulerunt.

O bone sacerdos, quanta cum lætitia offeres et tu Domino tuo Jesu animas inferno ereptas, animas a peccato liberatas, animas doctrina cœlesti instructas; offeres vitia strenue oppugnata, eradicata; offeres fidem viriliter propugnatam, vindicatam; offeres innumera opera caritatis et misericordiæ, tua industria et tuo indefesso zelo propagata. Simul agnosces cum humilitate omnia hæc ad Dominum pertinere, dicens: *Domine, dedisti mihi quinque talenta; ea reddo tibi, tua enim sunt, et ecce quinque alia quæ superlucratus sum et ea etiam tua sunt; ea tibi reddo.* En vera humilitas! Quam grata Deo!

3° *Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth., xxv, 21.)

In primis *laudem accipiunt* fideles servi a domino suo. Quam id ipsis jucundum accidere debet! Præterea ipsis pollicetur dominus congruam *remunerationem: Super multa te constituam.* Profecto hæc promissio spectat

et tempus *præsentis* vitæ et *futuræ*. Etenim qui in hac vita rite utitur gratiis datis, gratiam percipit præcedentibus majorem : et qui fideliter functus est aliquo munere, munus majoris momenti ei adimplendum demandabitur. In altera autem vita, dubium esse non potest quin uniuscujusque labori responsura sit digna merces ; immo longe laborem superabit remuneratio, dicente Domino : *Ego ero merces tua magna nimis.* (Gen., XV, 1.)

Tandem in summum crescit servorum illorum lætitia, dum subito sibi apertum vident cœlum illudque triumphantes ingrediuntur. O quanta illorum felicitas ! Ecce Deum vident facie ad faciem, Deum possident, Deo fruuntur, Eum ineffabili diligunt amore et cum Deo æterna gaudent felicitate, quam nihil jam unquam infringere poterit vel minuere. O si frequentior nobis esset et præsentior felicis æternitatis cogitatio, ardentius atque generosius tolleraremus labores, ærumnas, fatigationes, et quidquid tædium nobis parere solet in hac lacrymarum valle. Quam merito

dixisti, Paule : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* (II ad Cor., IV, 17.) Et : *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom., VIII, 18.)

III^um^ PUNCTUM. — **Talentorum neglectus.**

In hac parabola non solum stimulare voluit JESUS nostram solertiam in utendo talentis nobis concessis, proposito exemplo servorum fidelium ; sed impugnare etiam intendit *imprudentem ignaviam* eorum qui, ut iste piger servus, non timent sua talenta negligere.

Tria in hoc tertio puncto consideranda se nobis offerunt.

Quam injuste egerit iste ignavus servus.

Quam stulte se excusaverit.

Quam severe fuerit castigatus.

1° Injuste egit. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* (Matth., XXV, 18.)

Hæc sane agendi ratio *injustitia* non caret. Quam multi sunt, o mi JESU, qui hanc injustitiam imitantur! Nonne eam imitantur, qui propter suam *pigritiam* negligunt facere bonum, ad quod et talento et vitæ statu obligantur? Nonne eam imitantur, qui propter *ignaviam* extra suam vocationem vivunt, siquidem detrectant suæ vocationis sanctissimas obligationes adimplere? Nonne eam imitantur, qui ex *timore laboris* studium virtutum fugiunt, necnon exercitium zeli? Nonne eam imitantur ii omnes, qui suis talentis utuntur, non ad glorificandum nomen Domini, sed ad suam promovendam honorum cupiditatem, suam avaritiam, suum rerum terrestrium mundique oblectamentorum appetitum? Nonne quam maxime eam imitari dicendi sunt, qui sua voluptate aut impietate donis a Deo acceptis audacter utuntur ad offendendum Deum suum, Patrem suum, suum Benefactorem, et ad seducendas animas sanguine Filii Dei redemptas? O Domine, talem injustitiam averte a sacerdotibus tuis in æternum!

2° Locutus est stulte :

Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es ; metis ubi non sparsisti, et congregas ubi non seminasti. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. (Matth., XXV, 24.)

Hæc sane mala excusatio servi infidelis ipsius damnatio est. Similis tamen est excusatio, similis damnatio multorum. A semita virtutis et perfectionis avertuntur iis rationibus, quæ ipsos ad eam vehementer compellere deberent. *Negotium salutis*, aiunt, *arduum est et difficile.* — Ergo illud arripe sancta cum violentia. — *Exiguus est numerus salvandorum.* — Ergo conare de numero esse paucorum. — *Passionibus quatior vehementioribus.* — Ergo eas *vehementer* domare satage. — *Mundus est corruptione plenus atque illecebris.* — Ergo cave sedulo ne ab ipso seducaris. — *Æternitas, mors, judicium, infernus, veritates adeo terribiles sunt, ut non sine timore ea valeamus memorare.* — Ergo eas mente seria et in-

trepida revolve, et minus terribiles in dies videbuntur.

3° Severissime castigatus fuit.

Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo; et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium. (Matth., XXV, 28-30.)

O sacerdos, o vir Dei, tu qui alter esse debebas Christus, vide quot quantisque exagitandus sit animus tuus sagittis, si a judice supremo *servus infidelis et inutilis* declaratus fueris. Sagitta erit *confusio*, qua oppleberis, videndo quam stulte te ad vitam ignavam adduci siveris. Sagitta erit *pœnitentia*, qua tristaberis, dum intelliges gratiis, quas tu in vita flocci feceris, alios donari. Sagitta erit omnium amarissima *animi desperatio*, qua torqueberis, dum tibi constabit te suprema divini Judicis sententia æternis suppliciis addictum.

Hæc terribilia, o JESU, velamine

parabolæ obtegere voluisti, ut suavius et familiarius nobis ea in memoriam revocares. Utinam nunquam e mente nostra dilabantur hæc verba gravissima tua: *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

O Domine, si hæc sors futura est servi inutilis, quænam, quæso, sors erit servi infidelis? Ego tot ac tanta a manu tua accepi talenta; ubi fructus talentorum? Nonne forsan ita eis abusus sum, ut ea contra te, meum Benefactorem, Dominum et Patrem, crudeliter converterem? O Deus misericordissime, miserere servi tui! Doleo sincere quod tam male donis tuis usus fuerim; ea, obsecro, a me non auferas: toto enim animo incumbere volo ad fructum per ea referendum te dignum. Adjuva me; omnia enim possum in te, si volueris me confortare. Amen.

EXAMEN.

Circa remedia contra inanem gloriam.

Qui intendit per talenta quæ sibi a Deo concessa sunt, certos et solidos fructus producere, caveat sedulo oportet ab *inani gloria.* Examinet igitur se prudens sacerdos

circa ea quæ a magistris vitæ spiritualis proponuntur *remedia* contra hanc animarum pestem. Remedia autem sunt sequentia:

1° Considerare nihil utilitatis sequi ex inani gloria. Talis enim quisque est qualis coram Deo est. Si quis vesperi, postquam decubuit, apud se cogitet, quid omnis elapsi diei gloria jam illi prosit, inveniet nihil se nisi *vanitatem* consecutum. An hoc mihi persuasum est?

2° Considerare quod *quærendo* gloriam, *amittatur* gloria; fugit namque gloria sequentem et sequitur fugientem. Ideo omnis superbus et gloriosus est contemptibilis et merito contemnitur; humilis autem exaltatur. Exempla in utroque Testamento in promptu sunt, in Aman et Herode; in Davide et B. Virgine. An de hoc sufficienter cogitavi?

3° Considerare ex inani gloria magnum sequi *detrimentum;* quia perit omnis bonorum operum fructus, ut dicitur: *Receperunt mercedem suam.* (Matth., VI, 5.) Nam sicut aves non relinquerent intactas carnes quas in aperto campo expositas viderent, nec latrones sine damno dimitterent viatorem qui in silva pecunias manu deferret, ita dæmones, qui bonis operibus insidiantur, nobis merita furantur, quæ per *inanem gloriam* exposita vident. An hac cogitatione soleo me adjuvare ad vitandam gloriam inanem?

4° Considerare, ut ait S. Bernardus, *hunc statum nostrum* non esse *honoris* et *gloriæ*, sed *contemptus* potius, *laboris* et *exsilii*, inter vermes et bestias, in quo omnia nos ad humilitatem provocant : *corpus* sordidum, multisque malis obnoxium ; tentatio dæmonis assidua ; denique Christi et sanctorum *prædicatio* et *exempla*.

5° Qui laudari vult et videri, quærat laudem a Deo et sanctis omnibus, qui et *plures* sunt, et *nobiliores* hominibus omnibus in terra viventibus ; eorumque *laus* est *solida*. Sicut omnibus enim stultum est, quærere laudem *puerorum*, et interim a *viris* omnibus contemni : ita valde imprudenter agit, quisquis gloriam quærit hominum, et se ridendum et contemnendum præbet Deo sanctisque omnibus, qui facta ejus omnia intuentur.

Audi igitur, o sacerdos, qui tentatione laboras inanis gloriæ, sancti viri monitum gravissimum : « Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere ; sed ita parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, et sicut lutum platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri ? Quid, sordide peccator, potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, et infernum multoties meruisti ? » (*Imit. Chr.*, lib III, cap. XIII.)

RECOLLECTIO XXVIII.

MEDITATIO.

De bono Samaritano.

1um Præl. Audiamus Dominum Jesum suavissima eloquentia parabolam Samaritani enarrantem. (Luc. x.)

2um Præl. Petamus ab ipso Jesu ut nostra caritate et benignitate erga miseros nomen mereamur *boni Samaritani.*

Scribæ istius temporis opinabantur generatim solos Judæos ut *proximos* et *amicos* habendos esse, hoc nomine indignum judicantes, omnem hominem qui ad gentem judaicam non pertinebat. Propterea Jesus in hac parabola non significavit hominem, a latronibus male tractatum, judæum fuisse vel gentilem, *volens nos docere proximum nobis esse et nostrum mereri auxilium quemcumque* hominem, quem ærumnis premi intellexerimus, cujuscumque nationis sit aut conditionis.

Quid simplicius, quid clarius, quid ad commovendos animos aptius hac, quam narrat Dominus, historia?

Tria consideremus :

1° *Inhumanitatem* sacerdotis et levitæ;

2° *Caritatem admirabilem* Samaritani ;

3° *Caritatem stupendam* Salvatoris.

I^um^ PUNCTUM. — **Inhumanitas sacerdotis et levitæ.**

« *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præterivit. Similiter et levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit.* »

Exhibet JESUS sacerdotem et levitam tales quales multi erant tempore quo Dominus apparuit in terris. Aberat a cordibus eorum *caritas* et *misericordia.* Utinam idem dici non deberet de nonnullis sacerdotibus novæ Legis! Cum magna igitur utilitate cognoscere sataget pius Sacerdos *unde* nasci soleat tam tristis animorum dispositio.

Prima causa est *superbia.*

Miser ille homo plagis afflictus et vix non mortuus, forsan Judæus erat et proinde ejusdem nationis ac sacerdos iste et levita; sed homo erat inferioris conditionis, ignotus, nullius auctoritatis, contemptibilis. Quapropter talem flocci habentes sacerdos et levita, neque eum adspicere dignantur, et *transeunt*, *inhumaniter*, quasi ipsis verteretur in ignominiam, si erga hunc misellum vel minimam sollicitudinem exhiberent. Secus sane egissent, si vulneratus fuisset unus de magnatibus civitatis et in dignitatibus constitutus. Constitissent, interrogassent, condoluissent, omnem curam adhibuissent ad levandum dolorem, ad mulcenda vulnera. Proh dolor! non raro inveniuntur inter nos qui et ipsi laborant hoc *spiritu superbiæ*; parati sunt enim ad compatiendum illis qui aliqua fruuntur consideratione et auctoritate, et dedignantur se inclinare ad cognoscendas et consolandas *pauperum* et *egenorum* miserias. In sacerdote quid turpius?

Secunda causa est *utilitas propria*.

Ecce ille homo omnibus rebus spoliatus, nihil adjuvanti se pro officio exhibito rependere poterit. Immo qui adjuvare illum voluerit, impensas quasdam sibi debebit assumere. *Ergo*, est modus loquendi tacite sacerdotis et levitæ, *nihil lucri sperandum: propterea nullum auxilium exhibebitur misello!* O si spes fuisset accipiendi largam pro compassione et adjutorio remunerationem, se sacerdos et levita statim labori accinxissent et adjumentum contulissent.

Nonne sæpe nostra est hæc agendi ratio? Circumdamus sollicitudine, omni obsequio prosequimur, immo nostris officiis *fatigamus* hominem, quem confidemus nobis aliquid collaturum esse emolumenti pro nostra sollicitudine et cura impensa. Sed statim ac intellexi-mus frustra nos id sperasse, cessat sollicitudo, cessat industria, cessant officia. Quid iterum in sacerdote turpius?

Tertia causa est *cordis aurities*.

Profecto status in quo tunc versabatur ille homo, talis erat ut cor duris-

simum commovere debuisset. Et tamen siccis oculis, animo imperturbato, sine ullo commiserationis signo illi duo viri, famulatui Dei singulariter consecrati, pertranseunt.

Credendum est nulli sacerdotum Christi, quales nos sumus, tantæ immanitatis notam unquam inustam fuisse. Attamen quam sæpe saltem a longe *immisericordem* sacerdotem veteris Legis imitamur!

Videmus fratrem dolentem, inquietum, ancipitem, et de ipso ridemus. Videmus laborantem infirmitate, et hanc infirmitatem in jocum convertimus. Videmus eum animo dejectum et tristitia et mœrore tabescentem, et hanc animi afflictionem injuriosis impetimus verbis. Intelligimus fratrem ex nostra agendi ratione et jocandi augmentum accipere doloris, tristitiæ et mœroris, et non desistimus de ipso jocari, dolentem irridere, addentes crudeliter plagis plagam. Timeamus ne eadem nos mensura aliquando metiatur Dominus; timeamus ne a nobis amoveat misericordiæ suæ viscera, cum tam duros nos

videat erga fratres, ærumnis et doloribus pressos.

Quarta causa est *amor proprius*.

Ille homo quem exhibet nobis JESUS, vulneribus confossus, conspersus sanguine, mortis angustias gemitibus exprimens, delicatis hominibus non poterat non incutere horrorem ; quem horrorem experti, sacerdos iste et levita, ne constiterunt quidem ad conspiciendum lamentabile illud spectaculum, quod oculis se offerebat.

Quam sæpe accidit ut et nos, amori proprio indulgentes, vitemus quidquid nobis occasio esse possit displicentiæ ! Qui expetunt a nobis aliquod officium caritatis, forsan talibus laborant corporis et animi infirmitatibus, tam ingratæ et injucundæ sunt indolis, tot præterea scatent defectibus, ut multam nobis pariant aversionem et nescio quam nauseam. An propterea negandum est expetitum a nobis caritatis officium ? Minime gentium. Sacerdos, qui non nisi sibi gratis paratum se ostendit opem ferre, non caritatis vir dicendus, sed *amoris proprii exquisitor*.

O Jesu, fac, quæso, ut jam nullus inveniatur in familia tua sacerdotali, qui non studeat alios fideles *sua erga omnes miseros* compassione superare.

I^um^ Punctum. — **Caritas admirabilis Samaritani.**

« *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum ; et videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum ; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.* »

Quis hanc caritatem Samaritani, quam minutatim et cum divina quadam complacentia describit Jesus, non miretur ? Eam per singula perstringamus

1° *Universalis* est hæc caritas. Non considerat qualis nationis sit ille vulneratus, vel qualis conditionis. Agnovit in eo hominem patientem mala, et hoc ipsi sufficit, ut statim necessitatibus ejus statuat succurrere.

2° *Compatiens* est. Commoventur Samaritani viscera statim ac intellexit miserandum hominis statum.

3° *Agens* est. Non contentus est compati dolenti, et votis apud Deum eum prosequi et prece, sed ex equo desilit, et licet forsan urgens habeat negotium peragendum,accedit ad miserum, consolatur eum verbis, lavat vulnera, lenit dolorem.

4° *Generosa* est. Secum habet bonus ille Samaritanus *vinum* et *oleum*, propriis sine dubio usibus destinatum. Caritate pulsus, suorum oblitus necessitatum, gaudet quod secum habeat unde miseriis alienis subveniret. Quid generosius?

5° *Laboriosa* est. Non solum quod habebat infelici contulit viro, sed ad eum sublevandum non parcit fatigationi, non parcit incommodis. Propriis manibus vulneratum evehit in jumentum, eumque sequens pedester ad stabulum usque perducit.

6° *Constans* est. Adeo se sollicitum præbet erga infirmum, ut ne ad momentum quidem eum deserat, quasi nihil

præ manibus haberet peragendum. Per totam illam diem et sequentem noctem totus est in quærendo unde dilectus suus ægrotus aliquid levaminis, aliquid solatii percipere valeat.

7° *Provida* est. Non sufficit ei sua benignissima præsentia ignoto huic viro profuisse, sed absens etiam vult ei prodesse; propterea providet de pecunia, quam judicat necessariam ad plenam valetudinis restaurationem. Data itaque stabulario pecunia quam habet, ei promittit se, si aliquid defuerit, reducem completurum.

Hoc igitur proposito caritatis exemplo, interrogat JESUS doctorem legis *quis horum trium ipsi videatur proximus* fuisse illi qui *incidit in latrones.* Non potest ille doctor non respondere: *Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi* JESUS: *Vade, et tu fac similiter.*

O sacerdos, hoc *tibi* dictum existima, et *ut ille* bonus Samaritanus, accinge te ad benefaciendum *omnibus*, quos ope tua indigere intellexeris, *cujuscumque sint nationis aut conditionis.* Sufficiat tibi aliquem esse in neces-

sitate constitutum, ut eum habeas et tractes tamquam *proximum* et *amicum*.

III^um^ PUNCTUM. — Caritas stupenda Salvatoris.

Quis, quæso, parabolam Samaritani legere attenta mente poterit quin sibi persuadeat JESUM nobis suum pandisse Cor, stupenda flagrans erga nos caritate ?

1° Sciebat Filius Dei nos esse in loco miseriis periculisque pleno ; sciebat quanta cum crudelitate nos tractaverit diabolus, quibus thesauris nos spoliaverit, quot quantisque plagis nos vulneraverit; sciebat præterea nos non solum *miseros* esse, sed etiam *reos* et *æterno supplicio addictos ;* sciebat nos propria culpa in abysso jacere calamitatum ; sciebat nos ab ipso *profugos* esse et adversum ipsum *rebelles*,semper paratos bellum inferre patri nostro et benefactori. Nihilominus venit ad nos, non ut nos, sicuti merebamur, puniret, sed ut misericorditer nos salvaret. Assumit in se *miserias nostras*, ut eis medeatur ; onerat se *debitis nostris*, ut

eis nos liberet; non refugit pro nobis divinæ Justitiæ satisfacere, ut *peccata nostra* nobis dimittantur. O caritas JESU! O amor!

2° Et *quomodo egit* erga nos quamdiu nobiscum commoratus est in hac lacrymarum valle? Se totum impendit in nostram utilitatem; pro nobis laboravit, sudavit, vigilavit, nulli parcens sacrificio, nulli dolori. Quidquid habebat, nobis tradidit: tradidit bona temporalia; tradidit tempus; tradidit merita; tradidit libertatem; tradidit sanguinem et vitam. Uno verbo, *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis!* Quis non redamaret tanto nos amore complexum? O saltem vitam nostram totam ad ei fideliter serviendum et ad ejus nomen glorificandum, totis viribus, totis animis adhibeamus.

3° Et *ubi*, rediturus ad Patrem, nos *collocandos* curavit? In *Ecclesia*, quam proprio sanguine pro nostra salute fundavit.

Innumera autem suam hanc Ecclesiam nobis communicare voluit *bona*, scilicet vitæ suæ et sanguinis infinitum

pretium; sacramenta sua ut totidem fontes gratiarum; mensam pretiosissimam deliciisque plenam; cibum potumque divinum; innumera et valentissima media ad malum vitandum et ad omnem nobis virtutem comparandam; lumina vere cœlestia ad nostram sanctificationem, et super omnia *Spiritum sanctum* suum, Spiritum nempe *veritatis*, qui cum sponsa sua Ecclesia usque ad consummationem sæculi permanebit. *Quid retribuam tibi*, o JESU, *pro omnibus quæ retribuisti mihi?* Utique firma manu et generosa *calicem salutarem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

4° Et quid promisit se facturum, cum ad nos redierit? Promisit se rationem habiturum eorum quæ quisque pro nobis fecerit; etiam Superioribus Ecclesiæ omnibus instanter commendavit, ut nobis singulis provideant de omnibus quæ judicaverint nobis esse necessaria ad felicitatem. Ut autem stimularet eorum erga nos misellos caritatem, significavit clarissimis verbis se *sibi* factum habiturum quidquid quis minimo ex fratribus suis fecerit, mi-

nitans *negligentibus* æterna supplicia, *generosis* decernens præmia æterna.

Quod autem commendavit capiti familiæ suæ, commendavit et *membris*, ita ut nullus sit in Ecclesia sua, qui non teneatur se paratum præbere ad fratrem sublevandum, quotiescumque fuerit occasio.

O Jesu, concede sacerdotibus tuis ita diligere pusillos et miseros hujus mundi, ut ubique sua caritate imaginem referant boni Samaritani, et sic efficaciter concurrant ad promovendum atque stabiliendum *Regnum tuum*, regnum amoris. Amen.

EXAMEN.

Circa regulas zeli sacerdotalis.

I. Prima regula est ut zelus sit *circumspectus* pro circumstantiis, quæ impedire vel promovere eventum optatum possint. Multum enim refert, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando rem agas. Propterea *festina* quidem, sed *lente*, ne quid *per impetum* fiat, nimirum si res moram patiatur.

1° Certe nihil decernes tuto, nisi prius cum

Josue saltem per breve suspirium oraculum consulas.

2° Nihil item, nisi præter te alios consiliarios adhibeas, qui idonei sunt ad ferendam sententiam in causa pia.

3° Nihil insuper, nisi post auditos alios audieris etiam te, aliorumque sensus cum tuo contuleris.

4° Adde et hanc observationem, quod zelus circumspectus non transiliat limites sui status et officii, sive *in re*, sive *in modo*. Nempe ut omnis virtus moralis, ita etiam zelus potest jam *per defectum*, jam *per excessum* peccare.

Vide, o Sacerdos, an juxta hanc regulam, zelus tuus dici mereatur *circumspectus*.

II. Secunda regula est ut zelus *magnanimus* sit.

Si tu *incommoda* fugis a victu, a tempestate, ab habitatione valetudini metuenda, næ tu famosus apostolus fies!

Si tibi labor itinerum, si contentio dicendi de cathedra, si sessio diuturna in sacro tribunali, si hominum ruditas cruditasque inter intolerabiles molestias numerandæ esse videntur ; næ tu grandem messem in horrea Domini inferes!

Si tu contradictionum, calumniarum, mendaciorum, impedimentorum quæ tuis conatibus objicientur, impatiens es, næ tu celeriter te subduces ex acie, ut extra teli

jactum securius videas alios cum his monstris certare.

Si tu levi vulnere perstrictus a viso sanguine expallescas, næ tu per mortis contemptum miras victorias ex diabolo referes, regni tenebrarum formidabilis hostis.

Ergo, o sacerdos, si magnanimus est zelus, *amat incommoda... nutritur a molestiis... ab impedimentis accenditur... in ærumnis triumphat... stans et pugnans mori desiderat*, neque desinit pugnare citius, quam vivere.

Eia ! ex hoc funiculo metire te, quantus sis tu gigas in Apostolatu sacerdotali.

III. Tertia Regula est, ut zelus *perfectus* sit.

Accipe, o sacerdos, hanc zeli perfecti descriptionem a sancto Alberto Magno : « Zelus animarum verus et perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus... ferventibus desideriis... lacrymis... orationibus... vigiliis... jejuniis... prædicationibus... confessionibus... consiliis... doctrinis... atque aliis bonis operibus pro salute animarum laborat. » (Cfr. Horstius, *Paradisus animæ*, *De virtutibus*, c. 27.)

An tot ac tanta zeli *subsidia* tibi familiaria sunt?

RECOLLECTIO XXIX.

MEDITATIO.

De parabola thesauri absconditi in agro.

1um Præl. Audiamus Dominum JESUM dicentem : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro ; quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* (Matth., XIII, 44.)

2um Præl. Petamus a JESU *fructuosam* Parabolæ *intelligentiam.*

1um PUNCTUM. — **Sensus parabolæ.**

1. *Scopus* parabolæ est indicare professionem Evangelicam non esse leviter aut vulgari studio expetendam, sed omnibus omissis, *hoc unum* summo studio conandum, omniumque nostrorum bonorum jactura summum illud bonum comparandum ; quod etsi non cuivis sit obvium, tamen semel repertum, summam habet felicitatem. Et quamquam interim lateat apud homines tantus thesaurus, nec ostendat sese, tamen is qui *possidet*, tacite sibi ipsi

applaudit, securus exspectans illum diem, quo tanti thesauri felicitas, quæ nunc in obscuro est, in apertum proferatur, dicens cum Joanne : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus ; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (I Joan., III.)

II. Per *thesaurum* absconditum in agro intelligunt Patres 1° *Divinitatem Verbi* latentem in humanitate ; 2° *Ecclesiam* et numerum seu societatem Electorum, quorum *vita abscondita est cum Christo in Deo ;* 3° Sacræ Scripturæ *intelligentiam.*

Per thesaurum hunc S. Hieronymus accepit *ipsum Christum* et *Sacram Scripturam,* quam quoque hic intelligit S. Augustinus. Verum, ait Corn. a Lapide, thesaurus hic est proprie *Evangelium* ejusque *doctrina* et *fides.*

III. Per *agrum* in quo *Christus* absconditus est, varia intelliguntur.

1° *Mundus,* quia *Christus* in mundo erat, et *mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit.*

2° *Synagoga* Judæorum, vel *prophe-*

tica Scriptura, in qua hic Thesaurus absconditus continebatur.

3° B. M. Virgo, quæ non solum corde, sed etiam castissimo ventre Thesaurum hunc gestavit ad tempus, quia ex Ea carnem sumere voluit et Filius ejus nominari. Sed Judæi et *Thesaurum* et *agrum* contempserunt, et dicebant : *Nonne hic est filius fabri ? Nonne mater ejus dicitur Maria ?* Quæ verba per despicientiam dicta videntur.

4° Ager fuit Ecclesia primitivorum, in quo hujus Thesauri *signa manifesta* edita sunt.

5° Ager est sanctissimum *Corpus Christi, in quo Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* (Coloss., II, 9.)

6° Denique ager est *quævis anima sancta*, concipiens Christum et servans in præcordiis, ut illo *ditari* possit.

IV. Quibus modis *inveniri* valet hic Thesaurus ?

1° Invenitur *sorte*, id est, nullo merito præcedenti, sed ex mera Dei gratia et benignitate, et Patre revelante per fidem, qui Thesaurum abscondit. Et ita sorte

inventus est a Samaritano, a Matthæo stante in telonio, a Latrone in cruce, a Paulo eunte in Damascum.

2° Thesaurus hic detegitur vel Patre indicante, ut fecit cum Petro, vel per *prædicationem*, quod communius esse solet.

3° Invenitur *per rimas* fulgorem emittens, id est *verbis, operibus et miraculis*, tum in vita, tum in morte, tum post mortem in suis discipulis coruscans.

Contendamus igitur tantum possidere Thesaurum, hoc est, *Christum*, quia portatu facilis est, immo, ut quis dixit, portat se portantem. Vili pretio comparatur, quia *tanti* venditur *quantum* habes, et quisque se ipsum dando, illum consequi potest. Per hunc autem Thesaurum augetur in nobis fides, inflammatur spes, caritas sumit incrementum, et studio bonorum operum *thesaurizamus nobis thesaurum indeficientem in cœlo.*

II^um^ PUNCTUM. — **Parabolæ applicatio.**

Practica igitur sit hujus parabolæ applicatio.

1° Ad *salutem;*

2° Ad *perfectionem ;*

3° Ad *nosmetipsos.*

I. Merito parabolam applicare possumus *ad salutem,* quæ thesaurus est in Ecclesia JESU CHRISTI absconditus. Recordemur quot quantisque sacrificiis primi fideles hunc agrum sibi comparaverint, et quo studio illum conservaverint. In hunc finem minime dubitarunt jacturam facere non solum bonorum temporalium, famæ et quietis, sed et ipsius vitæ. Hunc autem agrum cum suo thesauro abscondito nobis, qui in Ecclesia nati sumus, fideliter legaverunt. Quam turpe esset si nos, sacerdotes, qui melius quam alii fideles pretium thesauri cognitum habemus, negligeremus pro illo gratos nos exhibere ? Sed longe turpius esset si nos, qui per vocationem destinati sumus a Christo ad hunc thesaurum in sua Ecclesia conservandum, explicandum

et omni studio et diligentia populo Dei communicandum, si, inquam, nos ipsi, parum nostræ salutis solliciti, eo uti dedignari videremur! Sed quid dicendum de sacerdote, qui hunc talem ac tantum thesaurum ita parvi faceret, ut illum vilissimo pretio, sua scilicet ignominiosa vita et passionum satisfactione venderet, et periculo se exponeret non jam eum in æternum recuperandi? Nonne hæc summa esset stultitia? Pro tua, o JESU, pietate et misericordia rogamus te, ut nunquam permittas nos hac lugenda stultitia laborare. Da nobis gratiam ita æstimandi et amandi thesaurum æternæ nostræ salutis, ut parati inveniamur omnia pati supplicia potius quam illum amittere.

II. Hæc parabola non sine fundamento illis omnibus applicatur, qui in se experti sunt vividam animi inclinationem vel ad *vitam religiosam*, vel ad *vitam* sacerdotalem, vel ad *vitam* singularis cum Deo unionis per exercitium orationis atque pœnitentiæ etiam *in sæculo* transigendam. Oculis talium vita religiosa thesaurus est; sacerdotium

thesaurus est; vitæ christianæ perfectio thesaurus est: et non possunt illi omnes quin gaudio repleantur, dum cogitant se tantum thesaurum invenisse.

Qui vocatum se sentit ad vitam religiosam, donec se videat in familiam religiosam admissum, habet suum thesaurum *ut absconditum in agro*. Quanta interea cum alacritate omnia comparat sibi, quæ ad suum in Ordinem ingressum vel necessaria vel utilia judicavit. Quidquid autem huic fini, quem intendit, impedimentum parere putavit, forti amovet voluntate. Pro nihilo habet quantumcumque sacrificium, paratus omnium quæ habet jacturam facere, ut tandem ad desideratissimum terminum pervenire valeat.

Idem judicandum est de illo, qui adspirat ad dignitatem sacerdotalem; necnon de illo, qui statuit in sæculo vitam agere sanctam.

Quotquot sumus sacerdotes vel religiosi, hanc nos animi generositatem habuisse cum sancta voluptate recordamur. Judicabamus merito nostram sublimem vocationem longe superare

pretio quidquid in mundo habere potest homo. Sed proh dolor ! apud nonnullos hic tantus vocationis amor paulatim deferbuit. Mansit utique illis thesaurus, quia pro nulla re mundi statum suum sanctum vellent deserere; sed ita agunt, ita loquuntur, ita vivunt ut thesaurum illis iterum absconditum crederes. Si, o Frater, in hoc tepiditatis statu versatur tua anima, consurge velociter ; lepram qua tabescis excute, firmiter conserva agrum quem tot sacrificiis tibi comparasti ; quærendo, fodiendo, orando, erue iterum thesaurum eoque utere fidelius, sapientius, cum majore constantia quam antea, et nova implebitur cor tuum lætitia.

III. Non carebit utilitate seria istius *hominis*, quem in scenam adduxit JESUS contemplatio. In eo consideremus *felicitatem*, *prudentiam*, *Lætitiam*, *animi fortitudinem*.

1° *Hominis felicitas.*

Procul dubio *felicem* se judicavit quod invenerit thesaurum, quem non quæsiverat, de quo non cogitaverat, quem vix exsistere suspicabatur.

Nonne hæc nostra felicitas? Ecce sine nostra voluntate, sine ullis nostris meritis, nati sumus in Ecclesia Dei, potiti fide in qua scimus innumera contineri bona. Quot deinde gratiis prævenit nos Deus, quot sancta cordibus nostris indidit desideria, quot consolationibus dignatus est faciem nostram exhilarare! De his ex toto corde Deo gratias agamus!

2° *Hominis prudentia.*

Invenit thesaurum in agro *alieno*, propterea reponit eum in loco ex quo extraxerat, et cum maxima diligentia, terra injecta, *abscondit.*

Hæc sit nostra prudentia. Cum humilitate dona et gratias, quæ de manu Dei accipimus, abscondamus hominum oculis, juxta hoc aureum consilium S. Gregorii Magni: « *Inventus thesaurus*, inquit, *absconditur ut servetur, quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus: maligni autem spiritus iter*

nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. » (Hom, XI, in Evang.)

3° *Hominis lætitia.*

Quomodo non exsultaret ille felix inventor thesauri quem, quia abscondit et prudenter agrum emit, nunc jam possidet *securus ?*

Gaudeamus et nos gaudio sancto et de bonis a Deo jam acceptis, et de iis quæ merito confidimus nobis modo adventura, dicente Paulo : *Gaudeamus in Domino semper: iterum dico, gaudeamus ! spiritu ferventes, spe gaudentes, Domino servientes.*

4° *Hominis fortitudo.*

Necesse fuit ad agrum sibi comparandum, in quo absconditus jacebat ille thesaurus, *quidquid* possidebat, vendere ; non dubitavit id confestim præstare.

Eum imitemur. Fides utique gratiaque nobis *immeritis* evenere ; sed *thesauri* possessio, possessio *agri* in quo absconditus latet, possessio *regni cœlestis*, possessio *vitæ æternæ*, *corona justi-*

tiæ nobis emenda. Hæc autem emptio exigit non raro ut nobis aliquam *vim* et sanctam quamdam violentiam inferamus, dicente Domino: *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* Summa igitur et lugenda esset stultitia, si nobis persuaderemus *sine ullis meritis* nobis cœlum concedendum. Cœlum nobis *in præmium* dabitur pro passionibus strenue domitis, pro vitiis animose superatis, pro sacrificiis sponte susceptis et pro laboribus ad gloriam Dei et ad salutem animarum exantlatis viriliter. Quam felix hæc negotiatio quamque gloriosa! *Negotiemur* igitur cum omni diligentia *donec veniat,* quem exspectamus, *justus Judex!*

EXAMEN.

Circa modos quibus Deus hominem sibi devincire solet.

In hoc Examine ultimo ea proponuntur consideranda quæ nonnullis ad apicem sanctitatis pertinere videbuntur: et merito quidem; sed tanta est nostra sacerdotum æstimatio ut hoc altissima vitæ spiritualis principia apprime eis convenire credamus,

corumque considerationem ipsis fore summæ utilitatis, et pro se et pro iis quos in viis Domini ex officio ducere tenentur.

1° Deus devincit sibi cor hominis, *spirituali lumine mentem* ita *illustrando* ut res spirituales quasi oculis subjectas intueatur: quæ illuminatio magnam plerumque animo voluptatem adferre solet, et licet hoc lumen sæpe intercipiatur, relinquit tamen in animo magnum rerum divinarum ac cœlestium desiderium. — An tale divinum tentamen in me expertus sum, eique fideliter respondi?

2° Deus devincit sibi cor hominis, *internum auditum animæ* sæpe efficacibus commonitionibus adhortationibusque *pulsando*, quæ plerumque ad vitæ correctionem, studium virtutum, ac Dei amorem hominem exstimulant: quod non raro fit suavi interiori instinctu, ac quasi allocutione, qua anima corroboratur ad constanter alacriterque viam Domini ingrediendam ac decurrendam. — Quoties forsan hanc Dei internam collocutionem audivi, eique præbui aurem distractam vel voluntarie surdescentem?

3° Deus devincit sibi cor hominis *infuso in animam jucundissimo rerum cœlestium odore*, de quo dictum est: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* (Cant., 1, 3.) — An mihi aliquando contigit hunc cœlestem odorem percipere? An eo quasi attra-

ctus cucurri a terrestribus voluptatibus ad cœlestes ?

4° Deus devincit sibi cor hominis, *spirituali quodam gustu*,cum Deus animæ jucundissimam rerum divinarum sapiditatem gustandam præbet, juxta illud : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* (Ps. XXXIII, 9.) Ubi hoc bene observandum,non unum esse eumdemque omnium virtutum saporem, sed singulis propriam suam esse et genuinam suavitatem, de qua David ait : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine !* (Ps. XXX, 20.) — An assuevi *sentire de Domino in bonitate ?*

5° Deus devincit sibi cor hominis, *spiri tuali quodam tactu* et quasi *complexu*, cum Deus interiora animæ variis caritatis effectibus demulcens,eam sibi incredibili amoris suavitate quasi desponsat ; cujusmodi deliciis animi, in sacris litteris, Canticorum liber plenus est. — Utinam, o mi Deus, anima satis casta sit mea, ut dignus inveniar qui aliquid tantarum deliciarum vel pro momento gustare possim !

Observandum est in omni meditatione quinque hos *sensus interiores* admodum utiliter adhiberi posse, ita ut ea quæ toto meditationis decursu ab intellectu voluntati proposita fuere, deinde interno *visu*, *auditu*, *gustu*, cæterisque sensibus considerentur; quod fieri potest, aut post singula medita-

tionis capita, aut in extremo totius meditationis, aut denique proximo die, novi argumenti loco, sic ut in *hac sensuum applicatione* intellectus a novarum rationum excogitatione supersedeat, sed tantum iterato ea quæ antea invenit, *internis istis sensibus* perlustret, cum pari qua prius voluntatis commotione. Nam ut *sensus nostri externi* continuo rerum sibi objectarum species ita percipiunt, ut iis non mediocriter, si jucundæ sint et placentes, oblectentur, ita etiam *sensibus interioribus* fieri experimur, ut sola congruentis sibi objecti propositione, *absque alia mentis* agitatione commoveantur.

Solet S. Ignatius, in admirabili suo Exercitiorum libello, proponere pro ultimo diei exercitio *applicationem sensuum* ad mysteria quæ exercitans per tres vel quatuor meditationes perpendit, et multi fassi sunt se in hac simplicissima sensuum applicatione invenisse fontem suavissimorum affectuum et animi deliciarum.

INDEX.

PAGINA

PRÆFATIO 1

MEDITATIONES DE VIA PURGATIVA.

RECOLLECTIO I... 3
Meditatio. De peccato Angelorum. ... 3
Consideratio. De horrore peccati... ... 9
Examen. Circa modum agendi apostolice 12
RECOLLECTIO II. 15
Meditatio. De peccato sacerdotis. 15
Consideratio. De neglectu orationis. ... 22
Examen. Circa remedia adversus orationis neglectum 27
RECOLLECTIO III. 29
Meditatio. De sacerdote in ultimo Judicio 29
Consideratio. De metu mortis. 39
Examen. Circa modum agendi juxta naturam 45
RECOLLECTIO IV.. 48
Meditatio. De inferno sacerdotis... ... 48
Consideratio. De æternitate in inferno 56
Examen. Circa modum agendi juxta gratiam. 59
RECOLLECTIO V... 63
Meditatio. De Purgatorio sacerdotis... 63
Consideratio. De iis quæ mortem consequuntur 73
Examen. Circa consilia mortis. 77
RECOLLECTIO VI. 80
Meditatio. De ingressu animæ in cœlum 80
Consideratio. De varia hominum sorte 89
Examen. Circa vias ad cœlum 92

RECOLLECTIO VII. 96
Meditatio. De SS. Eucharistia. 96
Consideratio. De dispositione ad martyrium. 103
Examen. Circa dignitatem sacerdotalem 107
RECOLLECTIO VIII. 109
Meditatio. De sacerdote præsentium temporum.. 109
Consideratio. De vita fidei ducenda. ... 117
Examen. Circa modum loquendi, agendi, patiendi ex fide. 123

DE B. MARIA VIRGINE.

De sancto Joseph.

De sancto Joanne Baptista.

RECOLLECTIO IX.. 131
Meditatio. De sanctissimo Nomine Mariæ 132
Examen. Circa signa tepiditatis 145
RECOLLECTIO X... 148
Meditatio. De Nativitate B. M. V. ... 148
Examen. Circa molestias sacerdotales. 157
RECOLLECTIO XI.. 161
Consideratio. De Purificatione B. M.V. 161
Examen. Circa amorem proprium. ... 169
RECOLLECTIO XII. 171
Meditatio. De divina Maternitate B. M. V... 171
Examen. Circa qualitatem viri Dei. ... 180
RECOLLECTIO XIII. 183
Meditatio. Maria, Auxilium christianorum. 183
Examen. Circa fiduciam erga B. V. M. 195
RECOLLECTIO XIV. 198
Meditatio. De B. M. V. de Monte Carmelo 198
Examen. Circa tertium gradum humilitatis... 207
RECOLLECTIO XV. 212

Meditatio. De Assumptione B. M. V. in cœlum 212
Examen. Circa modum imitandi humilitatem B. M. V. 221
RECOLLECTIO XVI. 225
Meditatio. De Assumptione B. M. V. 225
Examen. Circa ancillam sacerdotis. ... 235
RECOLLECTIO XVII. 238
Meditatio. De justitia S. Joseph.... ... 238
Examen. Circa virtutem justitiæ... ... 246
RECOLLECTIO XVIII.... 251
Meditatio. De sancto Joanne Baptista. 251
Examen. Circa modum gaudendi in Domino semper 256

DE PARABOLIS.

Consideratio præliminaria. De parabolis evangelicis. 261
RECOLLECTIO XIX. 270
Meditatio. De parabola seminantis. ... 270
Examen. Circa desiderium perfectionis sacerdotalis 286
RECOLLECTIO XX. 288
Meditatio. De parabola zizaniorum ... 288
Examen. Circa fontes quotidianorum defectuum.. 295
RECOLLECTIO XXI. 299
Meditatio. De parabola seminis crescentis. 299
Examen. Circa tarditatem in via perfectionis 308
RECOLLECTIO XXII. 313
Meditatio. De parabola grani sinapis... 313
Examen. Circa remedia contra avaritiam 328
RECOLLECTIO XXIII.... 332
Meditatio. De parabola ovis perditæ ... 332
Examen. Circa compassionem sacerdotalem. 342

RECOLLECTIO XXIV... 347
Meditatio. De filio prodigo 347
Examen. Circa modum imitandi Prodigum post reconciliationem 356
RECOLLECTIO XXV. 360
Meditatio. De drachma perdita et inventa. 360
Examen. Circa proprietates ex nostro erga Deum amore profluentes... ... 375
RECOLLECTIO XXVI.... 378
Meditatio. De decem virginibus... ... 378
Examen. Circa signa hominis spiritualis 388
RECOLLECTIO XXVII... 392
Meditatio. De parabola talentorum ... 392
Examen. Circa remedia contra inanem gloriam 407
RECOLLECTIO XXVIII... 410
Meditatio. De bono Samaritano.. ... 410
Examen. Circa regulas zeli sacerdotalis 422
RECOLLECTIO XXIX... 425
Meditatio. De parabola thesauri absconditi in agro. 425
Examen. Circa modos quibus Deus hominem sibi devincire solet 435

INDEX SYNOPTICUS

rerum quæ his quinque tomis continentur.

Romanus numerus TOMUM, arabicus PAGINAM designat.

MEDITATIONES.

A. De veritatibus fundamentalibus.

Tu es sacerdos in æternum! .. .. I 131

I. De fine hominis.

De fine nostro (1) ... ... I 204
Quid sit bene vivere, i.e. non carni, non mundo, non sibi, sed Deo (2) .. .. I 236
De falsis fontibus felicitatis... ... . II 182
De vero fonte felicitatis ... ... II 194
De terra ... ... II 208
De vita ... ... IV 163

II. De morte.

Præparatio ad mortem... .. .. I 5
De morte nostra ... ... I 15
De morte amara aut jucunda. .. .. I 23
Applicatio sensuum ad mortem... .. .. I 74
Finis venit. ... ... I 84
De brevitate vitæ ... ... I 95
De recordatione mortis.. ... ... I 246
De exitu vitæ ... ... III 1
De mala sacerdotis morte ... . III 106

III. De judicio.

Præparatio ad judicium (1)... ... ... I 32

De judicio sacerdotis ... ... I 41
Præparatio ad judicium (2)... ... ... I 49
De sacerdote in ultimo judicio ... ... V 29

IV. De peccato.

De quadruplici via... ... ... I 94
De iis quæ displicent Cordi Jesu. ... ... I 116
De peccato veniali... ... ... II 325
De peccato angelorum... ... ... V 3
De peccato in sacerdote. ... ... V 15

V. De inferno.

Meditatio... ... ... I 158
De inferno sacerdotis ... ... V 48

VI. De purgatorio.

Meditatio... ... ... II 219
De purgatorio sacerdotis ... ... V 63

VII. De cœlo.

De recordatione sanctorum... ... ... I 165
De ingressu animæ in cœlum. ... ... V 80

B. De principiis vitæ spiritualis.

De spiritu fervoris... ... ... II 15
De famulatu Dei sacerdotali.. ... ... II 28
Jesus, exemplar sacerdotis in labore. ... ... II 40
De vocatione sacerdotali ... ... II 51
De patientia sacerdotali ... ... II 67
De lætitia cordis. ... ... II 80
De vita sacerdotali viti comparata ... ... II 92
De fortitudine... ... ... II 105
De zelo sacerdotali.. ... ... II 157
De jejunio. ... ... III 115
De sacerdote præsentium temporum.. ... ... V 109

CONTEMPLATIONES.

A. De mysteriis vitæ D. N. J. C.

De persona D. N. J. C... ... ... III 228

I. De vita abscondita.

De Incarnatione D. N. J. C. (1)... ... ... III 27
De Incarnatione D. N. J. C. (2)... ... ... III 38
De Incarnatione D. N. J. C. (3) ... ... III 55
De Visitatione B. M. V. ... ... III 73
De mysterio Nativitatis D. N. J. ... ... II 232
De præsepio ... ... I 55
De Regibus magis ... ... I 200
De SS. Nomine JESU ... ... I 190
De Purificatione B. M. V. ... ... III 87
De Fuga D. N. in Ægyptum ... ... III 101
De ascensu JESU in templum, anno duodecimo ... III 127
De vita Christi usque ad annum trigesimum. ... ... III 142

II. De vita activa.

De baptismo JESU... ... ... III 155
De vocatione apostolorum ... ... II 1
De nuptiis in Cana Galilææ.. ... ... III 169
De ejectis e templo.. ... ... III 13
De Christi ambulatione super aquas.. ... ... III 183
De Chananæa.. ... ... III 197
De piscatione Petri.. ... ... III 212
De leproso mundato ... ... III 241
De Transfiguratione D. N. J. C.. ... ... III 271
De prædicatione JESU in templo.. ... ... III 256

III. De vita dolorosa.

De ultima Cœna, seu de testamento JESU. ... ... III 292
De iis quæ JESUS passus est in horto.. ... ... IV 2
De osculo Judæ ... ... IV 15
De comprehensione Christi in horto .. .. IV 29
De gestis apud Annam... ... ... IV 41
De gestis apud Caipham. ... ... IV 58
De gestis apud Pilatum.. ... ... IV 76
De flagellatione JESU ... ... IV 94
De spinea Corona ... ... IV 108
De condemnatione JESU ... ... IV 123
De via crucis ... ... IV 141
De primo verbo Domini : *Pater, dimitte illis*... ... IV 155
De secundo verbo Domini : *Hodie mecum eris in paradiso.* ... ... IV 172
De tertio verbo Domini: *Mulier, ecce filius tuus* ... IV 187
De quarto verbo Domini : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ... ... IV 199

De quinto verbo Domini: *Sitio* ... ... IV 212
De sexto verbo Domini: *Consummatum est* ... ... IV 226
De septimo verbo Domini: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*.. ... ... IV 241
De Cruce D. N. J. C. ... ... I 226
De mysteriis factis inde a cruce usque ad sepulcrum Jesu ... ... III 307

IV. De vita gloriosa.

De resurrectione D. N. J. C. ... ... II 116
De vita Jesu gloriosa ... ... III 321
De apparitione facta B. M. V. ... ... IV 254
De apparitione facta mulieribus... ... ... IV 268
De apparitione facta Magdalenæ. ... ... IV 283
De apparitione facta S. Petro ... ... IV 295
De apparitione facta discipulis Emmaüs... ... ... IV 306
De apparitione facta discipulis ... ... IV 321
De apparitione facta septem discipulis piscantibus (Vide meditationem: De dilectione Petri. I. P.). II 309
De apparitione facta S. Thomæ .. .. IV 339
De apparitione facta plus quam 500 fratribus.. ... IV 355
De Ascensione D.N.J.C. ... ... II 129
De Adventu Spiritus sancti... ... ... III 338

V. De vita eucharistica.

De institutione S Eucharistiæ ... ... I 221
De S. Eucharistia ... ... V 96

B. De devotionibus.

I. — SS. Cor Jesu.

De amore Jesu. ... ... I 1
De modo quo Jesus suum amorem probavit ... ... I 10
De symbolo amoris Jesu ... ... I 19
De fructu amoris Jesu... ... ... I 28
De Corona spinea Cordis Jesu ... ... I 37
De Lancea et de vulnere Cordis Jesu ... ... I 46
De Imagine Cordis Jesu. ... ... I 110
De virtutibus Cordis Jesu ... ... II 145
De utilitate scientiæ sacerdotalis ad promovendum cultum SS. Cordis Jesu ... ... II 294
De devotione sacerdotis erga Cor Jesu ... ... III 298
De sacerdotibus a Corde Jesu singulariter dilectis. IV 363
De affectibus Cordis Jesu erga B. M. V... ... ... IV 372

II. — B. M. Virgo.

De pietate sacerdotis erga Mariam . . I 100
De morte B. M. V. . . . . I 106
Cor Mariæ Beatissimum. . . . . I 142
Cor Mariæ Purissimum. . . . . I 147
De Immac. Conceptione B. M. V . . . . I 179
De iis quæ Maria exspectat a sacerdote . . . I 241
De Doloribus B. M. V. . . . . II 170
De vita B. M. V. post Ascensionem Jesu. . . . III 353
Maria, refugium sacerdotis ; *Ecce Mater tua*. . . IV 115
De B. M. V., causa nostræ lætitiæ . . . . IV 330
De sanctissimo nomine Mariæ . . . . . V 132
De Nativitate B. M. V. . . . . V 148
De Purificatione B. M. V. . . . . V 161
De divina Maternitate B. M. V. . . . . V 171
Maria, Auxilium Christianorum. . . . . V 183
De B. M. V. de Monte Carmelo. . . . . V 198
De Assumptione B. M. V. in cœlum. . . . . V 212
De Assumptione B. M. V. . . . . V 225

III. — SS. Angeli.

De S. Raphaele, Archangelo. . . . . I 153

IV. — S. Joseph.

De S. Joseph . . . . . II 261
De imitatione S. Joseph . . . . . I 210
De morte S. Joseph, ... I 216
De patrocinio S. Joseph. . . . . I 232
S. Joseph, suæ familiæ protector fidelissimus . . IV 100
S. Joseph, speculum perfectionis. . . . . IV 247
De justitia S. Joseph . . . . . V 238

V. — SS. Apostoli.

De conversione S. Petri.. . . . . I 121
De conversione S. Pauli. . . . . I 126
De morte Apostolorum. . . . . II 11
De S. Joanne Evangelista.. . . . . II 271
De dilectione S. Petri . . . . . II 309
De modo superandi impedimenta zeli ad exemplum S. Pauli. . . . . III 261

VI. — Sancti.

S. Franciscus Salesius, angelus caritatis . . . . I 69
S. Franciscus Salesius, angelus pietatis . . . . I 80

S. Franciscus Salesius, angelus puritatis... ... ... I 89
S. Franciscus Salesius, exemplar sacerdotale... ... II 248
De S. Francisco Xaverio. ... ... I 185
De S. Joanne Berchmans ... ... I 253
S. Joannes in cœlo triumphans erudit nos. ... ... I 258
De amore S. Aloisii Gonzagæ erga SS. Eucharistiam ... ... IV 348
De sancto Joanne Baptista ... ... V 251

CONSIDERATIONES.

Allocutio ad sacerdotes: *De præstantia recollectionis menstruæ.* ... ... I v
De morte Apostolorum.. ... ... II 11
De subsidiis et motivis fervoris ... ... II 22
De spiritu fidei in adversis ... ... II 35
De domo sacerdotali (1). ... ... II 45
De domo sacerdotali (2). ... ... II 61
De domo sacerdotali (3). ... ... II 75
De domo sacerdotali (4). ... ... II 86
De æstimatione divini Officii ... ... II 98
De prudentia sacerdotali. ... ... II 112
De pace ... ... II 122
De conditionibus sanctitatis.. ... ... II 137
De querelis piorum (1)... ... ... II 151
De querelis piorum (2)... ... ... II 164
De querelis piorum (3)... ... ... II 176
De querelis piorum (4)... ... ... II 188
De sacratissimo Rosario ... ... II 198
De otio fugiendo ... ... II 213
De labore sacerdotali (1). ... ... II 227
De labore sacerdotali (2). ... ... II 242
De gloria sacerdotali ... ... II 255
De viis Domini. ... ... II 267
De fiducia apostolica ... ... II 286
De tentatione contra virtutem angelicam.. ... ... II 302
De impuritate... ... ... II 320
De ruina sacerdotali ... ... II 331
De caritate sacerdotali... ... ... III 6
De unione sacerdotis cum JESU... ... ... III 19
De spiritu humilitatis ... ... III 31
De exercitio humilitatis.. ... ... III 47
De timore Domini ... ... III 61
De messe spirituali.. ... ... III 81
De aula Herodiana seu de occisione Innocentium... III 96
De mala sacerdotis morte ... ... III 106

De praxi jejunii sacerdotalis. ... ... III 121
De cruce sacerdotali (1).. ... ... III 135
De cruce sacerdotali (2).. ... ... III 149
De cruce sacerdotali (3).. ... ... III 163
De mala negotiatione spirituali ... ... III 176
De vita sacerdotis mari comparata ... ... III 189
De periculis et subsidiis sacerdotis. ... ... III 204
De conformitate cum voluntate Dei ... ... III 220
De bona negotiatione spirituali ... ... III 234
De necessitate nos ad mortem præparandi ... ... III 249
De modo dirigendi vocationem ... ... III 279
De exercitiis spiritualibus quotidianis. ... ... III 312
De necessitate progrediendi in via Domini. ... ... III 331
De præparatione ad percipienda dona Spiritus sancti ... ... III 348
De statu nostræ negotiationis spiritualis ... ... III 361
De sequela JESU ... ... IV 9
De via ad sanctitatem simplicissima ... ... IV 23
De duplici effectu amoris Dei ... ... IV 39
De amore vocationis ... ... IV 52
De meditando Evangelio (1). ... ... IV 68
De meditando Evangelio (2). ... ... IV 85
De stupenda Christi liberalitate ... ... IV 132
De sale apostolico (1) ... ... IV 178
De sale apostolico (2) ... ... IV 192
De luce apostolica... ... ... IV 206
De templo spirituali. ... ... IV 220
De navi spirituali ... ... IV 234
De cantico *Magnificat*... ... ... IV 260
De persona sacerdotis ... ... IV 276
De praxi sacri secessus... ... ... IV 287
De cicatricibus vulnerum Christi. ... ... IV 314
De horrore peccati... ... ... V 9
De neglectu orationis ... ... V 22
De metu mortis. ... ... V 39
De æternitate in inferno ... ... V 56
De iis quæ mortem consequuntur ... ... V 73
De varia hominum sorte. ... ... V 89
De dispositione ad martyrium ... ... V 102
De vita fidei ducenda ... ... V 117
De parabolis Evangelicis ... ... V 261

PARABOLÆ.

De Parabola seminantis. ... ... V 270
— zizaniorum. ... ... V 288

De Parabola seminis crescentis .. V 299
— grani sinapis .. V 313
— ovis perditæ ... V 332
— Filii prodigi .. V 347
— drachmæ perditæ et inventæ V 360
— decem virginum .. V 378
— talentorum ... .. V 392
— boni Samaritani. ... ... V 410
— thesauri absconditi in agro.. ... .. V 423

EXAMINA.

Examen status generale; forma prior. ... I XIII
Examen status generale; altera forma .. I XIV
Circa otiositatem ... ... I 7
— studium rerum sacrarum ... I 17
— confessionem sacerdotis .. ... I 25
— munus confessarii ... I 35
— munus concionatoris.. I 44
— directionem animarum I 52
— recitationem breviarii.. I 67
— celebrationem missæ.. ... I 76
— orationem in universum ... ... I 86
— meditationem ... ... I 97
— pietatem erga Mariam ... ... I 108
— pietatem erga Cor Jesu ... I 119
— pietatem erga Ecclesiam .. I 129
— modum agendi sacerdotaliter... I 140
— puritatem cordis.. ... ... I 151
— imitationem Angelorum ... ... I 161
— pietatem erga animas purgatorii ... ... I 166
— curam ecclesiæ et rerum ad ecclesiam pertinentium ... . I 188
— usum temporis ... ... I 198
— humilitatem sacerdotalem. ... .. I 207
— pietatem nostram erga S. Joseph ... I 219
— pietatem nostram erga S. Eucharistiam. I 230
— modum celebrandi Mensem Marianum. I 239
— recordationem mortis. I 251
— profectum in spiritu ... . I 261
— præparationem ad mortem ... .. I 13
— fervorem spiritus.. ... ... II 25
— modum bellandi bella Domini.. ... II 38
— impedimenta gaudii sacerdotalis .. II 48
— vigiliantiam sacerdotalem.. ... II 63
— presbyterium. ... ... II 78

Circa prudentiam sacerdotalem.. ... ... II 89
— munia ecclesiastica ... ... II 102
— gaudium sacerdotale .. .. II 114
— resurrectionem spiritualem ... ... II 126
— modum glorificandi Deum ... ... II 141
— mansuetudinem sacerdotalem.. ... ... II 154
— castitatem sacerdotalem .. .. II 167
— refectionem corporalem ... ... II 179
— zelum sacerdotalem... ... ... II 192
— modum se habendi in variis locis ... ... II 204
— affectus cordis ... ... II 216
— usum voluntatis... ... ... II 229
— usum intellectus.. ... ... II 245
— vanam gloriam ... ... II 259
— usum sensuum ... ... II 272
— pietatem erga Passionem Dominicam ... .. II 290
— modum superandi tentationem. ... ... II 306
— commercium sacerdotis cum laicis.. ... ... II 322
— causas ruinæ sacerdotalis.. ... ... II 334
— benevolentiam sacerdotalem ... ... III 10
— gratitudinem sacerdotis ... ... III 25
— spiritum mundi ... ... III 35
— exercitium humilitatis ... ... III 51
— timorem Domini.. ... ... III 70
— decorum sacerdotale... ... ... III 85
— actionem gratiarum instituendam post missam ... ... III 99
— obedientiam sacerdotalem. ... ... III 112
— mortificationem sacerdotalem.. ... ... III 124
— pusillanimitatem. ... ... III 139
— patientiam sacerdotalem ... ... III 152
— silentium sacerdotale. . ... III 166
— sinceritatem sacerdotalem ... ... III 180
— ambitionem ... ... III 194
— modum utendi signo crucis ... ... III 209
— conformitatem cum voluntate Dei... ... . . III 225
— acediam ... ... III 238
— fugam peccatorum ... ... III 253
— tristitiam ... ... III 268
— consolationem spiritualem. ... . III 289
— opera misericordiæ ... ... III 304
— modum dignos faciendi fructus pœnitentiæ.. III 318
— colloquia sacerdotum inter se ... . III 335
— fortitudinem sacerdotalem. ... ... III 350
— cognitionem practicam Jesu ... ... III 366
— desolationem. ... ... IV 12

Circa modum pie surgendi.. ... ... IV 26
— dilectionem Dei... ... ... IV 41
— modum pie decumbendi... ... ... IV 55
— lectionem piam... ... ... IV 73
— animi firmitatem .. .. IV 92
— modum se vincendi ... ... IV 106
— simplicitatem ... ... IV 120
— modestiam sacerdotalem.. ... ... IV 139
— quædam axiomata sanctorum.. ... ... IV 152
— visitationem sanctissimi Sacramenti ... ... IV 168
— detractionem. ... ... IV 184
— sobrietatem ... ... IV 197
— taciturnitatem ... ... IV 209
— perseverantiam ... ... IV 238
— primam Beatitudinem ... ... IV 251
— secundam Beatitudinem ... ... IV 265
— tertiam Beatitudinem.. ... ... IV 281
— quartam Beatitudinem ... ... IV 293
— quintam Beatitudinem ... ... IV 302
sextam Beatitudinem.. ... ... IV 318
— septimam Beatitudinem ... ... IV 335
— octavam Beatitudinem ... ... IV 352
— modum agendi apostolice ... ... V 12
— remedia adversus orationis neglectum ... V 27
— modum agendi juxta naturam. ... ... V 45
— modum agendi juxta gratiam ... ... V 59
— consilia mortis ... ... V 77
— vias ad cœlum... ... ... V 92
— dignitatem sacerdotalem. ... ... V 106
— modum loquendi, agendi, patiendi ex fide. V 124
— signa tepiditatis... ... ... V 145
— molestias sacerdotales. ... ... V 157
— amorem proprium. ... ... V 169
— qualitatem viri Dei ... ... V 180
— fiduciam erga B. M. V. ... ... V 195
— tertium gradum humilitatis ... ... V 207
— modum imitandi humilitatem B. M. V. ... V 221
— ancillam sacerdotis ... ... V 235
— virtutem justitiæ in sacerdote ... ... V 246
— modum gaudendi in Domino semper... ... V 256
— desiderium perfectionis sacerdotalis. ... ... V 586
— fontes quotidianorum defectuum ... ... V 295
— tarditatem in via perfectionis... ... ... V 308
— remedia contra avaritiam ... ... V 328
— compassionem sacerdotalem... ... ... V 342

Circa modum imitandi Filium prodigum post reconciliationem ... ... V 356
— proprietates ex nostro erga Deum amore profluentes ... ... V 375
— signa hominis spiritualis... ... ... V 388
— remedia contra inanem gloriam ... ... V 407
regulas zel isacerdotalis ... ... V 422
— modos quibus Deus hominem sibi devincire solet... ... ... V 435

INDEX ANALYTICUS

RERUM QUÆ QUINQUE TOMIS OPERIS HUJUS CONTINENTUR.

Romanus numerus TOMUM, arabicus PAGINAM designat.

Acedia. — Examen circa acediam. III, 238 sqq.

Affectus cordis. — Examen circa affectus cordis. II, 216 sqq.

Aloisius Gonzaga. — *Vide* **Eucharistia.**

Ambitio. — Examen circa ambitionem. III, 194 sqq.

Amor Jesu erga nos. — Jesus, Dei Filius, diligit me tantillum, tantum peccatorem, tam malum. I, 1 sqq. — Modus et motivum amoris Jesu. I, 4 sqq. — Quomodo Jesus nobis suum amorem probarit, nimirum Incarnatione, Passione et morte, vita eucharistica. I, 10 sqq. — Symbolum amoris Jesu in apparitione facta B. Margaritæ. I, 19 sqq. — Fructus amoris Jesu : honor, divitiæ, felicitas. I, 28 sqq. — Egregia similitudo ad explicandam caritatem Christi erga nos. V, 368 sqq. — Stupenda Jesu caritas. V, 419 sqq. — *Vide* **Cor Jesu, Eucharistia.**

Amor noster erga Deum. — Duplex effectus simul et causa amoris Dei : cordis recollectio et cordis abnegatio. IV, 39 sqq. — Verus Dei amor. IV, 25 sq. — Examen circa dilectionem Dei. IV, 41 sqq. — Examen circa proprietates ex nostro erga Deum amore profluentes. V, 375 sqq.

Amor proprius. — Examen circa amorem proprium. V, 169 sq. — Amor proprius, causa duritiei erga miseros. V, 415.

Ancilla. — Examen circa ancillam sacerdotis. V, 235 sqq.

Angeli. — Examen circa imitationem angelorum. I, 161 sqq. — Peccatum angelorum, ejusque causa et punitio. V, 3 sqq.

Apostoli. — Recordatio vocationis apostolorum sacerdoti ingens est consolatio et valida exhortatio. II, 1 sqq. — Unde mors eorum jucunda fuerit et gloriosa. II, 11 sqq. — Examen circa modum agendi apostolice. V, 12 sqq.

Ascensio Domini. — Præmissa Ascensioni; comitantia et sequentia Ascensionem. II, 129 sqq.

Ascensus Jesu in Templum. — Pietas sanctæ Familiæ in hoc mysterio. III, 127 sqq. — Jesus manet in templo insciis parentibus ; ab eis invenitur in templo. III, 130 sqq.

Avaritia. — Examen circa remedia contra avaritiam. V, 328 sqq.

Baptismus Jesu. — In hoc mysterio proponitur fundamentum vitæ spiritualis, nempe abnegatio et spiritus humilitatis. III, 155 sqq.

Beatitudines (Octo). — Examen circa unamquamque beatitudinem. IV, 251 sqq. — 265 sqq. — 281 sq. — 293 sq. — 302 sqq. — 318 sqq. — 335 sqq. — 352 sqq.

Benevolentia. — *Vide* **Caritas.**

Breviarium. — Examen circa recitationem breviarii. I, 67 sq. — Nomina quibus divinum Officium insigniri solet. II, 99 sq. — Circumstantiæ in quibus absolvitur. II, 100 sqq.

Caritas fraterna. — S. Franciscus Salesius fuit angelus caritatis. I, 70 sqq. — Caritatis fraternæ necessitas, qualitates et speciale objectum. III, 6 sqq. — Examen circa benevolentiam sacerdotalem. III, 10 sqq. — Desiderium est Cordis Jesu ut nos invicem diligamus. III, 293 sqq. — Exemplum hujus caritatis in ultima Cœna. III, 295 sqq. — Examen circa opera misericordiæ. III, 304 sqq. — Examen circa materiam, modum et motivum misericordiæ. IV, 302 sqq. — Examen circa compassionem sacerdotalem. V, 342 sqq. — Admirabilis caritas boni Samaritani. V, 411 sqq.

Castitas. — Examen circa castitatem sacerdotalem. II, 167 sqq. — *Vide* **Puritas Cordis, Impuritas, Tentatio.**

Cœlum. — Cœlum est exclusio omnium malorum et congregatio omnium bonorum. I, 173 sqq. — Iter ad cœlum ; ingressus animæ in cœlum. V, 80 sqq. — Examen circa vias ad cœlum. V, 92 sqq.

Colloquia. — *Vide* **Modus agendi.**

Compassio erga miseros. — Examen circa compassionem sacerdotalem. V, 342 sqq. Quatuor causæ unde nasci soleat inhumanitas erga miseros. V, 411 sqq.

Concionator. Examen circa munus concionatoris. I, 44 sq. — Quid et quomodo prædicabat Jesus ? III, 256 sqq.

Confessarius. — Examen circa munus confessarii. I, 35 sq

Confessio. — Examen circa confessionem sacerdotis. I, 25 sqq.

Conformitas cum voluntate divina. — Quomodo generice et circa quas res particulares in specie exercenda sit. III, 220 sqq. Examen circa hanc virtutem. III, 225 sqq.

Consolatio. Examen circa consolationem spiritualem. III, 289 sqq. — Examen circa tertiam Beatitudinem, *Beati qui lugent.* IV, 281 sq.

Contemplatio. — Quid sit. IV, 86, 88 sqq.

Cor Jesu (SS.). — Cor Jesu, symbolum amoris Jesu. I, 18 ; II, 295. — Ejus sensa circa nos. I, 21 sqq. — Lancea latus Jesu aperiens fuit instrumentum divinæ providentiæ, amoris et potentiæ. I, 46 sqq. — Imago Cordis Jesu, memoriale nostræ devotionis erga Cor Jesu. I, 110 sqq. — Est memoriale nostræ perfectionis. I, 113 sqq. — Cordi Jesu displicent spiritus mundanus, tepiditas, peccatum. I, 116 sqq. — Examen circa pietatem erga Cor Jesu. I, 119 sq. — Virtutes Cordis Jesu : mansuetudo et humilitas. II, 145 sqq. — Utilitas scientiæ sacerdotalis ad promovendum cultum SS. Cordis. II, 294 sqq. — Desiderium Cordis Jesu et donum. III, 293 sqq. ; 296 sqq. — Quid solet cordi Jesu displicere, quid maximopere placere? III, 299 sqq. — Quatuor classes animarum a Corde Jesu singulariter dilectarum. IV, 363 sqq. — Ejus affectus erga B. V. M. in cruce. IV, 372 sqq. — In parabola boni Samaritani Jesus suum nobis pandit cor caritate flagrans. V, 416 sqq. — *Vide* **Amor Jesu erga nos.**

Corona spinea. — In capite Jesu fuit corona miseriæ, misericordiæ et justitiæ. I, 36 sqq.

Crux. — Jesus in cruce est Magister, Judex, Rex. I, 227 sqq. — Necessitas crucis sacerdotalis. III, 135 sqq. — Ejus utilitas. III, 149 sqq. — Ejus jucunditas. III, 163 sqq. — Examen circa modum utendi signo crucis. III, 209 sqq. — Jesus nos vocat ad crucem nostram tollendam et ad ipsum sequendum. IV, 9 sqq. — Exercitium Viæ crucis. IV, 141 sqq.

Decorum sacerdotale. — *Vide* **Modus agendi.**

Defectus — Defectus quos laici objicere solent sacerdotibus. II, 151 sqq.; 164 sqq.; 176 sqq.; 188 sqq. — Examen circa fontes quotidianorum defectuum. V, 295 sqq.

Desolatio. — Christus tristis et derelictus in horto. IV, 2 sqq. — Quid facit Jesus in tantis angustiis constitutus? IV, 8 sq. — Examen circa desolationem. IV, 12 sqq. — Christus in cruce a Patre derelictus. IV, 200 sqq.

Detractio. — Examen circa detractionem. IV, 184 sqq.

Dignitas sacerdotalis. — Quanti facienda sit. V, 120 sqq. — *Vide* **Sacerdos.**

Dilectio Dei. — *Vide* **Amor erga Deum.**

Directio animarum. — Examen circa directionem animarum. I, 52 sqq. — *Vide* **Vocatio.**

Domus sacerdotalis. — Repræsentare debet domum Nazarethanam. I, 243 sqq. — In ea splendeant hæc tria: mundities, ordo, aurea mediocritas. II, 46 sqq. — Quænam personæ in ea admittendæ et quænam excludendæ. II, 61 sqq. — De personis quibuscum commoratur sacerdos. II, 75 sq. — Examen circa presbyterium. II, 78 sq. — Sacerdos domi orans, laborans, ægrotans. II, 86 sqq. — Cf. IV, 247 sq.

Ecclesia. — Examen circa pietatem erga Ecclesiam. I, 129 sqq. — *Vide* **Templum.**

Eleemosyna. — *Vide* **Avaritia.**

Eucharistia. — Vita eucharistica Domini Jesu. I, 13 sqq. — Amor Jesu Eucharistiam instituentis. I, 221 sqq. — Examen circa pietatem erga S. Eucharistiam. I, 230 sqq. — Sacerdotes tanto beneficio digne respondere debent. III, 297 sqq. — Examen circa visitationem SS. Sacramenti. IV, 168 sqq. — Discipuli cognoverunt Dominum

in fractione panis. IV, 312 sqq. — Amor sancti Aloisii Gonzagæ erga S. Eucharistiam admirabilis fuit intelligentia, fructu, zelo. IV, 348 sqq. — Quis est Christus in Tabernaculo ? V, 97 sqq. — S. Eucharistiæ adoratores paucissimi, contemptores multi. V, 99 sqq.

Examen status. — Duplex forma faciendi examen generale status. I, pag. XIII sqq.

Familia (Sancta). — Vita S. Familiæ cum vita familiæ Herodianæ comparata. III, 96 sqq. — Virtutes S. Familiæ dum fugit in Ægyptum. III, 101 sqq. — Pietas S. Familiæ in Templo. III, 127 sqq. — *Vide* **Nazarethana domus.**

Felicitas. — Non est in gaudiis mundi, non in honoribus, non in satisfactione propriæ voluntatis. II, 182 sqq. — De vero fonte felicitatis. II, 194 sqq. — *Vide* **Beatitudines.**

Fervor. — Felicitas sanctorum excitat ad fervorem. I, 168 sqq. — Quis sacerdos dicendus sit spiritu fervens. II, 15 sqq — Quinam sint effectus fervoris. II, 18 sqq. — Subsidia et motiva fervoris. II, 22 sqq. — Examen circa fervorem spiritus. II, 25 sqq. — Esuries et sitis justitiæ, virtutis scilicet et sanctitatis (Quarta Beatitudo). IV, 293 sq.

Fides. — Spiritus fidei in adversis. II, 35 sqq. — Mulieris Chananææ fides manifestatur, probatur et remuneratur. III, 197 sqq. — Primum subsidium sacerdotis, spiritus fidei. V, 114 sqq. — Vita fidei ducenda. V, 117 sqq. Examen circa modum loquendi, agendi et patiendi ex fide. V, 124 sqq.

Fiducia. — Felicitas Sanctorum excitat ad fiduciam. I, 166 sqq. — Motiva fiduciæ. II, 287 sqq. — Quomodo excitetur et nutriatur. II, 288 sqq.

Finis hominis. — Triplex quæstio serio examinanda : Unde venio? Quo vado? Ubi sum? I, 205 sqq. — Quis est scopus vitæ? IV, 165 sq.

Firmitas seu Fortitudo. — Examen circa modum bellandi bella Domini. II, 38 sq. — Fortitudinis natura et necessitas. II, 105 sqq. — Fortitudo in aggrediendo et in sustinendo. II, 107 sqq. — Examen circa fortitudinem sacerdotalem. III, 350 sqq. — Examen circa animi firmitatem. IV, 92 sq. — Examen circa modum se vincendi. IV, 106 sqq.

Franciscus Salesius (S.). — Fuit angelus caritatis, diligendo proximum mente, corde, ore, opere. I, 69 sqq. — Fuit angelus pietatis, adhærendo Deo tota mente, toto corde, totis viribus. I, 80 sqq. — Fuit angelus puritatis, æstimando, amando, colendo puritatem. I, 88 sqq. — Est exemplar sacerdotale. II, 248 sqq.

Franciscus Xaverius (S.). — Qualis fuerit ante exercitia spiritualia ; qualis ex iis exiverit ; qualis deinceps fuerit. I, 180 sqq.

Gaudium. — Gaudium impedire solent hæc tria : phantasia, tentatio, desolatio. II, 48 sqq. — Natura et praxis lætitiæ sacerdotalis. II, 80 sqq. — Examen circa gaudium sacerdotale. II, 114 sq. — Examen circa modum gaudendi in Domino semper. V, 256 sqq. — *Vide* Felicitas.

Gloria sacerdotis. — Glorietur sacerdos non more mundanorum, sed more Sanctorum. II, 255 sqq. — Examen circa vanam gloriam. II, 259 sq. — Examen circa remedia contra vanam gloriam. V, 407 sqq.

Glorificatio Dei. — Deus glorificandus facto, desiderio, intentione. II, 141 sqq.

Gratitudo. — Laici accusare solent sacerdotes de defectu gratitudinis. II, 152 sqq. — Triplex gradus animi grati erga Deum et erga homines. III, 25 sq.

Gravitas. — Laici accusare solent sacerdotes de defectu gravitatis. II, 164 sqq. — *Vide* **Modus agendi.**

Humilitas. — Examen circa humilitatem sacerdotalem. I, 207 sqq. — Humilitas cordis Jesu. II, 148 sqq. — Quid sit spiritus humilitatis. III, 31. — Sacerdos sit humilis mente, ore, actione, affectu. III, 32 sqq. — In exercitio humilitatis quinque species. III, 47 sqq. — Examen circa exercitium humilitatis. III, 52 sqq. — Exemplo suo docet nos Christus amare officia humilia. III, 148 sq. — Examen circa tertium gradum humilitatis. V, 207 sqq. — Examen circa modum imitandi humilitatem B. M. Virg. V, 221 sqq.

Impuritas. — Sacerdos impuritate distinguitur, ut diabolus, sua fœditate et sua crudelitate. II, 320 sqq. — *Vide* **Castitas.**

Incarnatio. — Deus mittit angelum Gabrielem ad Mariam. III, 27 sqq. — Expenduntur verba Filii Dei, angeli Gabrielis et Mariæ. III, 38 sqq. — Opera hominum, angeli Gabrielis, B. M. V. et Verbi divini in hoc mysterio. III, 55 sqq.

Infernus. — Sacerdos sepultus in inferno. I, 158. — In infernum pervenitur quatuor viis pessimis. I, 159 sqq. — Quid patiatur sacerdos in inferno. I, 161. — Infernus sacerdotis. V, 48 sqq. — Æternitas cruciatuum in inferno. V, 56 sqq.

Intellectus. — Examen circa usum intellectus. II, 245 sqq.

Jejunium. — *Vide* **Pœnitentia.**

Jesus Christus. — Est exemplar sacerdotis in labore. II, 40 sqq. — Ejicit e templo vendentes et ementes. III, 13 sqq. — Ascendit in templum anno ætatis suæ duodecimo. III, 127 sqq. — Ejus obedientia et vita abscondita. III, 142 sqq. — Nuptiis interest in Cana Galilææ, ibique rogatus a matre primum patrat miraculum. III, 169 sqq. — Solus orat in monte. III, 183 sqq. — Venit ad apostolos in mari luctantes, et sedatur ab eo tempestas. III, 185 sqq. — Suavitas et mansuetudo Jesu in piscatione Petri. III, 212 sqq. — Debet Jesus nobis esse Filius Dei, Rex regum, Salvator mundi, medicus animarum, amicus inter omnes diligendus. III, 228 sqq. — Ejus benignitas et misericordia in sanatione leprosi. III, 243 sqq. — Quid et quomodo prædicabat Jesus? III, 256 sqq. — Transfiguratur coram tribus apostolis. III, 271 sqq. — In ultima cœna tria nobis legavit : desiderium cordis sui, exemplum, donum. III, 292 sqq. — De cruce depositus et sepultus est. III, 307 sqq. — In vita gloriosa usque ad Ascensionem exhibuit summam pacem, misericordiam, beneficentiam, zelum pro Ecclesia sua. III, 321 sqq. — Examen circa cognitionem practicam Jesu. III, 366 sq. — Stupenda Christi liberalitas : dedit quidquid habebat, quidquid erat. IV, 132 sqq. — De spiritu Jesu. IV, 207. — Apparitiones Domini nostri : IV, 254 sqq. — 268 sqq. — 283 sqq. — 295 sqq. — 306 sqq. — 321 sqq. — 339 sqq. — 355 sqq. — *Vide* **Amor Jesu, Incarnatio, Baptismus, Nomen Jesu, Passio, Crux,** etc.

Joannes Baptista (S.). — Admirabilis fuit genere vitæ quam duxit. V, 251 sqq.

Joannes Berchmans (S.). — Vivens latebat mundo et fulgebat cœlo. I, 253 sqq. — Erudit nos circa duplicem errorem. I, 258 sqq.

Joannes Evangelista (S.). — Erat Jesu discipulus insignis. II, 276 sqq.

Joseph (S.). — Imitandus est in nostris relationibus erga Deum, erga puerum Jesum, erga B. M. V., erga sanctos angelos, erga homines. I, 210 sqq. — Mors ipsius fuit pretiosissima, gloriosissima, jucundissima. I, 216 sqq. — Examen circa pietatem nostram erga S. Joseph. I, 219 sq. — Quantus patronus S. Joseph. I, 232 sqq. — Quomodo patroni officio fungatur. I, 235. — Optima ratio impetrandi ejus patrocinium. I, 235 sq. — Fuit instrumentum Dei generosum et gloriosum. II, 262 sqq. — Suæ familiæ protector est fidelissimus. IV, 100 sqq. — Fuit speculum perfectionis in domo Nazarethana et in sua persona. IV, 247 sqq. — Justus fuit erga Deum, erga familiam, erga cæteros homines, erga semetipsum. V, 238, sqq.

Judicium particulare. — Variæ circumstantiæ judicii particularis. I, 32 sqq. — Judicium sacerdotis tepidi, sacerdotis ferventis. I, 41 sqq. — Præparatio ad judicium. I, 49 sqq. — Tria hominum genera in quos a Christo judice profertur sententia. V, 74 sqq. — Cf. I, 136 sqq.

Judicium universale. — Sacerdos bonus et sacerdos malus in ultimo judicio. V, 29 sqq.

Justitia. — Examen circa virtutem justitiæ in sacerdote. V, 246 sqq.

Labor. — Jesus exemplar sacerdotis in labore. II, 40 sqq. — Quare teneatur sacerdos laborare. II, 227 sqq. — Quomodo laborare debeat. II, 242 sqq.

Lætitia. — *Vide* **Gaudium.**

Lancea. — Fuit instrumentum divinæ Providentiæ, amoris et potentiæ. I, 46 sqq.

Lectio pia. — Examen circa lectionem piam. IV, 73 sqq.

Leprosus. — Non dubitat lepram Jesu manifestare. III, 241 sqq. — Virtutes Jesu in sanatione leprosi. III, 243 sqq.

Magi. — Eorum fidelitas sequendo stellam, Jesum adorando et per aliam viam in patriam redeundo. I, 200 sqq.

Mansuetudo. — Mansuetudo Cordis Jesu. II, 154 sqq. — Examen circa mansuetudinem sacerdotalem. II, 154 sqq. — Examen circa secundam Beatitudinem. II 265 sqq.

Margarita Maria (Beata). — Apparitio SS. Cordis ipsi facta. I, 19.

Maria (B. V.). — Pietas sacerdotis erga B. M. V. I, 100 sqq. — Mors ejus fuit pretiosissima. I, 106 sqq. — Examen circa pietatem erga Mariam. I, 108 sqq. — Cor Mariæ beatissimum. I, 142 sqq. — Cor ejus purissimum. I, 147 sqq. — Gaudium Mariæ de sua immaculata Conceptione ; nobis de ea gaudendum est gaudio sancto, utili et efficaci. I, 180 sqq. — Examen circa modum celebrandi *mensem Marianum*. I, 239 sqq. — De iis quæ Maria a sacerdote exspectat. I, 241 sqq. — Passa est fortiter, prudenter, confidenter. II, 170 sqq. — Angelus Gabriel annuntiat Mariæ mysterium Incarnationis. III, 27 sqq. — Expenduntur verba Gabrielis ad Mariam. III, 39 sqq. — Maria humani generis redemptioni cooperatur. III, 57 sqq. — Nuptiis interest in Cana Galilææ et primum a Filio miraculum impetrat. III, 169 sqq. — Post ascensionem Jesu, cœlo vivebat, cœlo se præparabat; exsilium suum prudenter et sancte leniebat, III, 353 sqq. — Maria, refugium sacerdotis. IV, 115 sqq. — Stabat juxta crucem Jesu intrepida. IV, 187 sqq. — Jesus redivivus apparet Matri suæ, eamque consolatur. IV,

254 sqq. — Canticum Mariæ *Magnificat* (Consideratio). IV, 260 sqq. — B. M. V., causa nostræ lætitiæ. IV, 330 sqq. — Affectus cordis Jesu erga B. Virginem. IV, 372 sqq. — Nomen Mariæ interpretatur *Stella maris*, *Mare amarum*, *Domina*. V, 132 sqq. — Nominis hujus dignitas et efficacia. V, 141 sqq. — Vaticinia, gaudium et fructus Nativitatis B. Virginis. V, 149 sqq. — Divinæ maternitatis excellentia, ejusdemque fundamentum. V, 171 sqq. — Maria, auxilium christianorum, eis opitulatur consilio, exemplo, auxilio. V, 183 sqq. — Examen circa fiduciam erga B. Virg. V, 195 sqq. — B. M. V. de Monte Carmelo, quid a sodalibus exspectet et quomodo eos remuneret. V, 198 sqq. — Maria in morte sua, post mortem, in resurrectione, in assumptione, in cœlo. V, 212 sqq. — Examen circa modum imitandi humilitatem B. Virg. V, 221 sqq. — In triumpho Mariæ tres gradus distinguendi. V, 225 sqq. — *Vide* **S. Familia, Visitatio, Purificatio, Rosarium.**

Meditatio. — Examen circa meditationem. I, 97 sqq. — Ad meditandum Evangelium stimulant nos excellentia materiæ, methodi facilitas et ubertas fructuum. IV, 68 sqq.; 85 sqq. — *Vide* **Oratio.**

Messis spiritualis. — Quomodo paretur mala messis, quomodo bona. III, 81 sqq.

Misericordia. — *Vide* **Caritas.**

Missa. — Examen circa celebrationem Missæ. I, 76 sqq. — Examen circa gratiarum actionem post Missam. III, 99 sq.

Modestia. — Examen circa modestiam sacerdotalem. IV, 139 sq.

Modus agendi, se habendi et loquendi. — Examen circa modum agendi sacerdotaliter. I, 140 sq. — Laici accusare solent sacerdotes de

defectu gravitatis. II, 164 sqq. — Examen circa refectionem corporalem. II, 179 sqq. — Modus se habendi in variis locis : in cubiculo, in templo, in platea, etc. II, 204 sqq. — Examen circa commercium sacerdotis cum laicis. II, 322 sqq. — Examen circa decorum sacerdotale. III, 85 sq. — Jesus et Maria in Cana Galilææ nobis exemplar inter convivantes. III, 169 sqq. — Colloquia sacerdotum inter se sint pia, honesta, prudentia, utilia, jucunda. III, 335 sqq. — Examen circa modum pie surgendi. IV, 26 sq. — Examen circa modum pie decumbendi. IV, 55 sq. — Examen circa modum se vincendi. IV, 106 sq. — Examen circa modum agendi juxta naturam. V, 45 sqq. — Examen circa modum agendi juxta gratiam. V, 59 sqq. — *Vide* **Domus sacerdotalis.**

Molestiæ. — Examen circa molestias quæ in vita sacerdotis occurrunt. V, 157 sqq. — *Vide* **Tribulatio.**

Mors. — Est separatio ab omnibus. I, 6. — Est separatio animæ a suo corpore. I, 6. — Silentium mortis circa me. I, 7. — Semel tantum moriar. I, 15. — Ignoratio circumstantiarum mortis. I, 16 sq. — Mors tepidis amara, ferventibus jucunda. I, 23 sqq. — Applicatio sensuum ad mortem. I, 74 sqq. — Quandonam veniet finis vitæ? Qualis erit? I, 85 sq. — Mors B. M. V. pretiosissima. I, 106 sqq. — Brevitas vitæ quid significet in ore damnatorum, in ore justorum, in ore nostro. I, 196 sqq. — Mors S. Joseph pretiosissima. I, 216 sqq. — Recordatio mortis quam utilis sit. I, 246. — Examen circa recordationem mortis. I, 251 sq. — Mors apostolorum quare jucunda et gloriosa. II, 11 sqq. — Examen circa præparationem ad mortem. II, 13 sq. — Vitæ exitus varius pro variis hominibus. III, 2 sqq. — Præparatio exitus vitæ. III, 5 sq. —

Sacerdotis peccatoris mors amarissima. III, 107 sqq. — Necessitas nos ad mortem præparandi. III, 249 sqq. — Remedia ad metum mortis pellendum. V, 39 sqq. — Consideratio de iis quæ mortem consequuntur. V, 73 sqq. — Examen circa consilia mortis. V, 77 sqq. — Discrimen inter mortem proborum et mortem mundanorum. V, 89 sqq.

Mortificatio. — Examen circa mortificationem sacerdotalem. III, 124 sqq. — *Vide* **Pœnitentia.**

Mundus. — Examen circa spiritum mundi. III, 35 sqq. — Sacerdos spiritum Christi induere et spiritui mundi contradicere debet. III, 31 sqq.

Nativitas D. N. J. C. — Præsepium Jesu est cathedra docentis, tribunal judicantis, thronus miserentis. I, 55 sqq. — Quid sentiat Jesus videndo quæ videt, audiendo quæ audit in stabulo. II, 232 sqq. — Quænam obsequia a nobis exspectet. II, 239 sqq.

Navis. — Anima navi comparata. Triplici periculorum generi est obnoxia. IV, 234 sqq.

Negotiatio spiritualis. — In negotiatione spirituali ad ruinam dilabitur qui, negligens principia fidei, unice nititur principiis humanis. III, 176 sqq. — Bonus negotiator spiritualis imitari debet prudentem negotiatorem hujus seculi. III, 234 sqq. — Quomodo agat bonus negotiator, quomodo malus. III, 361 sqq.

Nomen Jesu (SS.). — Origo, causa, gloria SS. Nominis Jesu. I, 190 sqq. — Ejus qualitates. I, 194 sq.

Obedientia. — Examen circa obedientiam sacerdotalem. III, 112 sqq. — Christus parentibus subditus. III, 142 sqq. — Obedientia S. Petri, et obedientiæ ejus præmium. III, 215 sqq.

Officium divinum. — *Vide* **Breviarium.**

Oratio. — Examen circa orationem in universum. I, 86 sqq. — Orationis mentalis jucunditates; ejus difficultates, et ratio eas superandi. III, 312 sqq. — Oratio Christi in horto laboriosa. IV, 3 sqq. — In angustiis positus, Christus confugit ad orationem. IV, 8 sqq. — Quam damnosus sit neglectus orationis. V, 22 sqq. — Examen circa remedia adversus orationis neglectum. V, 27 sq. — *Vide* **Meditatio.**

Otiositas. — Examen circa otiositatem. I, 7 sqq. — Nihil sacerdoti turpius otio, nihil perniciosius. II, 213 sqq. — Quis dicendus sit otiosus. II, 215 sq.

Parabolæ. — Parabola arboris fici. III, 331 sqq. — Quid sit parabola nomine tenus et secundum rem. V, 261 sqq. — Quare Dominus frequenter parabolis uti voluerit. V, 266 sqq. — Parabola seminantis. V, 270 sqq. — Parabola zizaniorum. V, 288 sqq. — Parabola seminis crescentis. V, 299 sqq. — Parabola grani sinapis. V, 313 sqq. — Parabola ovis perditæ. V, 332 sqq. — Parabola de filio prodigo. V, 347 sqq. — Parabola drachmæ perditæ et inventæ. V, 360 sqq. — Parabola de decem virginibus. V, 378 sqq. — Parabola talentorum. V, 392 sqq. — Parabola de bono Samaritano. V, 410 sqq. — Parabola thesauri absconditi in agro. V, 425 sqq.

Passio D. N. J. C. — Examen circa pietatem nostram erga Passionem dominicam. II, 290. — Oratio Domini laboriosa in horto: tædium ejus et tristitia; fiducia et resignatio. IV, 2 sqq. — Traditur Jesus osculo Judæ: quid facit Jesus? quid Judas, quid sacerdos sacrilegus? IV, 15 sqq. — Comprehenditur Jesus in horto: inter hostes suos, intrepidus et mansuetus. IV, 29 sqq. —

Adducitur ad Annam ; accipit alapam. IV, 44 sqq. — A Petro negatur : quomodo et quare? IV, 47 sqq. — Apud Caïpham examinatur, condemnatur et opprobriis saturatur. IV, 58 sqq. — Apud Pilatum a sacerdotibus et senioribus graviter accusatur ; Barabbæ postponitur. IV, 76 sqq. — Innocens flagellatur. IV, 94 sqq. — Spinis coronatur et illuditur. IV, 108 sqq. — A Pilato ad crucifigendum traditur ; crucem sibi bajulat. IV, 123 sqq. — Via Crucis. IV, 141 sqq. — Septem verba Domini in cruce. IV, 155 sqq. — 172 sqq. — 187 sqq. — 199 sqq. — 212 sqq. — 226 sqq. — 241 sqq. — *Vide* **Crux, Corona spinea, Lancea.**

Patientia. — Examen circa patientiam sacerdotalem. III, 152 sqq. — *Vide* **Tribulatio.**

Paulus (S.). — Conversio sancti Pauli et fructus conversionis ejus. I, 126 sqq.

Paupertas. — Beati pauperes spiritu (Prima Beatitudo) ; quatuor classes pauperum spiritu. IV, 251 sqq.

Pax. — Possessio pacis, maximum hominis bonum ; varia ejus commoda. II, 122 sqq. — Beati pacifici (Septima Beatitudo) ; varii gradus hujus beatitudinis. IV, 335 sqq.

Peccatum. — Quid nos doceant de peccato veniali theologi, Sancti, ipse Deus. II, 325 sqq. (Cf. I, 149 sq. ; IV, 193.) — Pœnæ gravissimæ sacerdotis peccantis lethaliter. III, 64 sqq. — Examen circa fugam peccatorum. III, 253 sqq. — Peccatum angelorum ; ejusdem causa et punitio. V, 3 sqq. — Horror peccati, fundamentum omnis sanctitatis. V, 9 sqq. — Peccati sacerdotalis gravitas et effectus. V, 15 sqq.

Perfectio. — *Vide* **Profectus.**

Perseverantia. — Examen circa perseverantiam. IV, 238 sqq.

Petrus (S.). — Lapsus, conversio, prudentia S Petri. I, 121 sqq. — Quomodo dilexerit Christum et oves ejus. II, 309 sqq. — Admirabiliter fuit a Christo instructus. II, 317 sqq. — Obedientia S. Petri et obedientiæ ejus præmium. III, 215 sqq.

Pœnitentia. — Gaudia pœnitentiæ. III, 114 sqq. — Obnoxia est pœnitentia insidiis diaboli. III, 118 sqq. — Jejunandum est cum æstimatione, cum pietate, cum devotione. III, 121 sqq. — Examen circa modum dignos faciendi pœnitentiæ fructus. III, 318 sqq. — Examen circa modum imitandi Filium prodigum post reconciliationem. V, 356 sqq. — *Vide* **Mortificatio.**

Præsentia Dei. — Exercitium præsentiæ Dei. I, 155.

Præsepe Domini Jesu. — Est cathedra docentis, tribunal judicantis, thronus miserentis. I, 55 sqq.

Presbyterium. — *Vide* **Domus sacerdotalis.**

Profectus in spiritu. Perfectio. — Examen circa profectum in spiritu. I, 261 sqq. — Necessitas progrediendi in via Domini (Ex parabola arboris fici). III, 331 sqq. — Examen circa desiderium perfectionis sacerdotalis. V, 286 sq. — Examen circa tarditatem in via perfectionis. V, 308 sqq. — Examen circa signa hominis spiritualis. V, 388 sqq.

Providentia. — Viæ Domini variæ, tutæ, mirabiles, absconditæ ; videntur contrariæ fini ad quem diriguntur. II, 267 sqq. — In persecutione Herodis sancta Christi familia divinæ Providentiæ se gubernandam dedit. III, 98 sqq.

Prudentia. — Examen circa prudentiam sacerdotalem. II, 89 sqq. — Prudentia necessaria ob multa pericula in quibus versatur sacerdos. II, 112 sqq.

Purgatorium. — Examen circa pietatem nostram erga animas purgatorii. I, 176 sqq. — Purgatorium

est locus tormentorum simul et schola virtutum. II, 219 sqq. — Quid est Purgatorium? V, 63 sqq. — Sententia Sanctorum de Purgatorio. V, 66 sqq. — In igne purgatorii Maria levamen et solatium. V, 205 sqq.

Purificatio B. M. V. — Maria et Joseph exhibent in hoc mysterio genuinum Jesu spiritum. III, 87 sqq. — Simeon justus et Anna prophetissa meruerunt accipere consolationem Israel. III, 91 sqq. — Mysterium Purificationis mysterium est oblationum. V, 161 sqq.

Puritas cordis. — Examen circa puritatem cordis. I, 151 sq. — Beati mundo corde (Sexta Beatitudo). IV, 318 sqq. —

Pusillanimitas. — Examen circa pusillanimitatem. III, 139 sqq.

Querelæ. — Sacerdotes a laicis accusari solent 1° de defectu gratitudinis. II, 152 sqq. — 2° de defectu gravitatis. II. 164 sqq. — 3° de defectu zeli erga Christum Dominum. II, 176 sqq. — 4° de defectu zeli pro animarum sanctificatione. II, 188 sqq.

Raphael (S.). — Ipsius pulchritudo, felicitas, obedientia, caritas, pax imperturbabilis. I, 153 sqq.

Recollectio menstrua. — Ejus necessitas. I, pag. V sqq. — Emolumenta recollectionis menstruæ, cum fit in communi. I, pag. VIII sqq. — Quomodo instituenda in communi. I, p. X sqq. — Quomodo facienda privatim. I, p. XI sqq.

Refectio. — Examen circa refectionem corporalem. II, 179 sqq.

Resurrectio. — Quænam fuerit Jesu via ad resurrectionis gloriam. II, 116 sqq. — Quomodo Jesus resurrexerit. II, 120 sqq. — Examen circa resurrectionem spiritualem. II, 126 sqq.

Rex. — Christus rex regum. III, 229. — Regnum ejus non est de hoc mundo. IV, 84 sq.

Rosarium. — Ejus recitatio Mariæ jucundissima, Ecclesiæ utilissima, nobis ipsis valde proficua. II, 198 sqq.

Ruina. — Non subito, sed paulatim et per varios gradus ad ruinam dilabitur sacerdos. II, 331 sqq. — Examen circa varias causas ruinæ sacerdotalis. II, 334 sqq.

Sacerdotium. Sacerdos. — Quid nobis sacerdotium in vita, in morte, in judicio, post judicium. I, 131 sqq. — Examen circa modum agendi sacerdotaliter. I, 140 sq. — Dignitas sacerdotis; obligationes pro tanta dignitate. I, 223 sqq.; Cf. III, 63. — Sacerdos Dei aulicus, minister, miles. II, 29 sqq. — Obligationes quibus obnoxius est vi ordinum. II, 102 sqq. — Pericula et subsidia sacerdotis. III, 204 sqq. — Vocatio sacerdotalis vehementer diligenda. IV, 52. — Quare status sacerdotalis aliquoties minus diligatur. IV, 53 sqq. — Sacerdos est sal terræ: salis functiones adimplere debet in se et in aliis. IV, 178 sqq.; 192 sqq. — Est lux mundi: debet alios illuminare, errores dissipare, animas movere. IV, 206 sqq. — Quis sit sacerdos inter alios homines. IV, 276 sqq. — Examen circa dignitatem sacerdotalem. V, 107 sqq. Cf. ibid. 120 sqq. — Necessitas sacerdotum idoneorum præsenti tempore. V, 109 sqq. — Sacerdos tepidus. V, 115 sqq. — Examen circa qualitatem viri Dei. V, 180 sqq.

Sancti. Sanctitas. — Fructus tres colliguntur ex recordatione Sanctorum: fiducia, fervor, lætitia. I, 165 sqq. — Objectiones quibus plures impediuntur ne ad sanctitatem evolent. II, 137 sq. — Conditiones sanctitatis. II, 138 sqq. — Via ad sanctitatem simplicissima. IV, 23 sqq. —

Quædam axiomata Sanctorum. IV, 152 sqq. — Discrimen inter sortem Sanctorum et sortem mundanorum. V, 89 sqq. — Excelsa Sanctorum fidelitas imitanda, ad quam requiruntur quatuor. V, 102 sqq.

Scopus vitæ. — *Vide* **Finis, Vita.**

Secessus annuus. — Exercitia annui secessus suppeditant unde reparentur præterita, et futura prospiciantur. IV, 287 sqq. — *Vide* **S. Franciscus Xaverius.**

Sensus. — Examen circa usum sensuum. II, 272 sqq.

Separatio a Deo. — Sacerdoti nihil infelicius accidere quam si vivat a Jesu separatus. III, 20 sqq.

Sequela Christi. — Christus nos vocat ad suam sequelam ; qua conditione nos vocat ? IV, 9 sqq.

Silentium. — Multiplex silentium sacerdotale : sacramenti, secreti, prudentiæ, etc. III, 166 sqq. Cf. IV, 250. — Silentium triumphale. III, 33 et 167. — *Vide* **Taciturnitas.**

Simplicitas. — Examen circa simplicitatem. IV, 120 sqq.

Sinceritas. — Examen circa sinceritatem sacerdotalem. III, 180 sqq.

Sobrietas. — Examen circa sobrietatem. IV, 197 sq.

Spiritus fidei. — *Vide* **Fides.**

Spiritus sanctus. — Tribus modis apparuit. III, 338 sqq. — Ratio nos præparandi ad percipienda ejus dona. III, 348 sqq.

Studium rerum sacrarum. — Examen circa hoc studium. I, 17 sq. — Cf. II, 244, 246.

Subsidia. — Primum subsidium sacerdotale est spiritus fidei. V, 114 sqq. (Cfr. V, 238). — Alterum subsidium, solida devotio erga B. M. V. V, 132.

Superbia. — Causa est duritiei erga miseros. V, 411 sqq.

Taciturnitas. — Examen circa taciturnitatem; ejus necessitas, utilitas, jucunditas. IV, 209 sqq. — *Vide* **Silentium.**

Talenta. — Eorum distributio, rectus usus, neglectus, V, 394 sqq.

Templum seu ecclesia. — Examen circa curam ecclesiæ. I, 188 sq. — Templum Judæorum pulcherrimum. III, 13 sqq. — Templum christianorum sanctius et venerabilius templo Judæorum. III, 15 sq.

Templum spirituale. — Templum Dei sumus; quænam Deo displiceant in hoc templo. III, 16 sqq. — Rationes similitudinis inter templum materiale et templum spirituale. IV, 220 sqq.

Tempus. — Examen circa usum temporis. I, 98 sq.

Tentatio. — Quid sit tentatio. II, 302. — Ejus utilitates. II, 303. — Quomodo fuganda. II, 304 sqq. — Examen circa modum superandi tentationes. II, 306 sqq. — Maria, præsens in omnibus tentationibus auxilium et in ultimo vitæ luctamine victoria. V, 203 sqq.

Tepiditas. — Sacerdotis tepidi delineatio. V, 115 sqq. — Examen circa signa tepiditatis. V, 145 sqq. — Signa tepiditatis. V, 297.

Terra. — Est scala ad Deum; est exsilium; est locus multarum deceptionum; est via ad patriam; est locus negotiationis. II, 208 sqq.

Timor Domini. — Triplex timor Domini. III, 62 sqq. — Examen circa timorem Domini. III, 70 sqq.

Tribulatio. — Unde tribulationes sacerdotis ? Quo oculo aspiciendæ ? Quo animo ferendæ ? II, 70 sqq. — *Vide* **Desolatio.**

Tristitia. — Examen circa tristitiam. III, 268 sqq.

Unio cum Deo. — Sacerdoti nihil beatius quam si vivat cum Jesu conjunctus. III, 20 sqq. — Examen circa modos quibus Deus hominem sibi devincire solet. V, 435 sqq.

Vana gloria. — *Vide* **Gloria.**

Via crucis. — Exercitium Viæ Crucis. IV, 141 sqq.

Via. — Quadruplex pro sacerdotibus distinguitur via. I, 86. — A quibusnam unaquæque ex his viis percurratur. I, 94 sqq. — Via ad sanctitatem simplicissima. IV, 23 sqq. — Examen circa vias ad cœlum. V, 92 sqq.

Viæ Domini. — Viæ Domini variæ, tutæ, mirabiles, absconditæ ; videntur contrariæ fini ad quem diriguntur. II, 267 sqq. — Quare soleat Deus nos ducere per tales vias. II, 271 sqq.

Vigilantia. — Examen circa vigilantiam sacerdotalem. II, 63 sqq.

Visitatio B. M. V. — Maria utile nobis exhibet perfectionis documentum. III, 73 sqq. — Expenduntur verba Elisabeth et Mariæ. III, 78 sqq.

Visitatio SS. Sacramenti. - Examen circa visitationem SS. Sacramenti. IV, 168 sqq.

Vita hominis. — Brevitas vitæ quid sit pro damnatis, pro justis, pro unoquoque nostrum. I, 195 sqq. — Bene vivere est vivere non carni,

non mundo, non sibi, sed Deo. I, 236 sqq. — Vita secerdotis viti comparata. II, 92 sqq. — Ejus vita mari comparata. III, 189 sqq. — Quid est vita? Quis est scopus vitæ? IV, 163 sqq. — Varia hominum sors et vita. V, 89 sqq.

Vocatio. — Vocatio sacerdotis divina, sublimis, admirabilis. II, 51 sqq. — Quænam intentio Dei vocantis. II, 56 sqq. — Natura et signa vocationis. III, 279 sqq. — Directio vocationis. III, 283 sqq. — Deliberatio instituenda. III, 287 sqq. — Regula aurea pro iis qui vocati sunt ad vitam religiosam. III, 288 sqq. — *Vide* **Sacerdotium.**

Voluntas. — Examen circa usum voluntatis. II, 29 sqq.

Vulnera. — Cur Dominus Jesus voluerit cicatrices vulnerum in corpore suo incorruptibili servare. IV, 314 sqq.

Zelus. — Necessarius est propter vocationem. II, 157 sq. — Probat amorem erga Deum. II, 159 sq. — Ejus exercitium jucundum. II, 160 sqq. — Debet esse prudens ac fortis. II, 162 sqq. — Laici accusare solent sacerdotes de defectu zeli. II, 176 sqq.; 188 sqq. — Examen circa zelum sacerdotalem. II, 192 sq. — Modus superandi impedimenta zeli apostolici. V, 12 sqq.— Examen circa regulas zeli sacerdotalis. V, 422 sqq.

MENSIS SS. CORDIS JESU.

1. Apparitio facta B. Margaritæ. ... ... I 19
2. De amore Jesu. ... ... I 1
3. De modo quo Jesus suum amorem probavit. ... ... I 10
4. De fructu amoris Jesu. ... ... I 28
5. De præsepio Jesu. ... ... I 55
6. De iis quæ displicent Cordi Jesu. ... II 116
7. De mansuetudine Cordis Jesu. ... ... II 145
8. De humilitate Cordis Jesu. ... ... II 148
9. Examen circa mansuetudinem sacerdotalem. ... ... II 154
10. De spiritu humilitatis. ... ... III 31
11. De utilitate scientiæ sacerdotalis ad promovendum cultum SS. Cordis Jesu. ... ... II 294
12. Examen circa cognitionem practicam Jesu. ... ... III 366
13. De unione sacerdotis cum Jesu. ... III 19
14. De stupenda Christi liberalitate. ... IV 132
15. De sacerdotibus a Corde Jesu singulariter dilectis. ... ... IV 363
16. De institutione S. Eucharistiæ. ... ... I 221
17. Examen circa pietatem nostram erga S. Eucharistiam. ... ... I 230
18. De bono Samaritano. ... ... V 410
19. De corona spinea Cordis Jesu. ... ... I 37
20. De lancea et de vulnere Cordis Jesu... I 46
21. De primo verbo Domini in Cruce. ... IV 155
22. De cicatricibus vulnerum Christi. ... IV 314
23. De apparitione facta S. Thomæ. ... IV 338
24. De spiritu fervoris. ... ... II 15
25. De subsidiis et motivis fervoris. ... II 22
26. De S. Eucharistia. ... ... V 96
27. De devotione sacerdotis erga Cor Jesu. III 298
28. De testamento Jesu. ... ... III 292

29. De modis quibus Deus hominem sibi devincire solet. ... ... V 435
30. Examen circa pietatem erga Cor Jesu. I 119

MENSIS MARIANUS.

Apr.
30. Examen circa modum celebrandi mensem Marianum. ... ... I 239
Maii.
1. De immaculata Conceptione B. M. V. I 179
2. De Nativitate B. M. V. ... ... V 148
3. De SS. Nomine Mariæ. ... ... V 132
4. De divina Maternitate B. M. V. ... V 171
5. De Visitatione B. M. V. ... ... III 73
6. Canticum *Magnificat*. ... ... IV 260
7. De Purificatione B. M. V. (1) — I Punctum. ... ... III 87
8. De Purificatione B. M. V. (2). ... ... V 161
9. Circa modum imitandi humilitatem B. M. V. ... ... V 221
10. De fuga in Ægyptum. ... ... III 101
11. De nuptiis in Cana Galilææ. ... ... III 169
12. Circa fiduciam erga B. M. V. ... ... V 195
13. Maria, refugium sacerdotum. ... ... IV 115
14. De sexto verbo Domini in cruce: *Mulier, ecce filius tuus.* ... ... IV 187
15. De doloribus B. M. V. ... ... II 170
16. De affectibus Cordis Jesu erga B. M. V. IV 372
17. De apparitione facta B. M. V. ... ... IV 254
18. B. M. V., causa nostræ lætitiæ. ... ... IV 330
19. De vita B. M. V. post Ascensionem. ... III 353
20. De morte B. M. V. ... ... I 206
21. De Assumptione B. M. V. (1°) — I et II Punct. ... ... V 212
22. De Assumptione B. M. V. (1°) — III, IV et V Punct. ... ... V 217
23. De Assumptione B. M. V. (2°). ... ... V 225
24. Maria, Auxilium christianorum.... ... V 183

25. De pietate sacerdotis erga Mariam. I 100
26. De SS. Rosario. ... ... II 198
27. Cor Mariæ beatissimum. ... ... I 142
28. Cor Mariæ purissimum. ... ... I 147
29. De iis quæ Maria exspectat a sacerdote. I 241
30. De B. M. V. de Monte Carmelo. ... V 198
31. Examen circa pietatem erga Mariam. I 108

MENSIS S. JOSEPH.

1. De fructibus qui colliguntur ex recordatione Sanctorum. ... ... I 165
2. S. Joseph, instrumentum Dei generosum. II 261
3. S. Joseph, instrumentum Dei gloriosum. II 264
4. De Purificatione B. M. V. — I Punct. III 87
5. De fuga in Ægyptum. — I Punctum. III 101
6. De fuga in Ægyptum. — II et III Punct. III 103
7. De aula Herodiana. ... ... III 96
8. De ascensu Jesu in templum. — I Punct. III 127
9. » » » II Punct. III 130
10. » » » III Punct. III 132
11. De vita Christi in Nazareth usque ad 30^{um} annum. ... ... III 142
12. S. Joseph, familiæ suæ protector fidelissimus. ... ... IV 100
13. S. Joseph, protector fidelissimus Jesu. IV 102
14. S. Joseph, speculum perfectionis in domo Nazarethana. ... ... IV 267
15. S. Joseph, speculum perfectionis in sua familia. ... ... IV 249
16. Objectiones quibus impedimur in via Sanctorum. ... ... II 138
17. De justitia S. Joseph erga Deum. ... V 238
18. » » erga familiam suam et cæteros homines. ... ... V 240
19. De justitia S. Joseph erga semetipsum. V 244
20. Mors S. Joseph pretiosissima. ... ... I 216

21. Mors S. Joseph gloriosissima et jucundissima. ... ... I 217
22. De discrimine inter vitam et mortem Sanctorum et vitam et mortem mundanorum. ... ... V 89
23. De imitatione S. Joseph in relationibus erga Deum. ... ... I 210
24. De imitatione S. Joseph in relationibus erga Jesum. ... ... I 211
25. De imitatione S. Joseph in relationibus erga B. M. V. ... ... I 213
26. De imitatione S. Joseph in relationibus erga Angelos. ... ... I 214
27. De imitatione S. Joseph in relationibus erga homines. ... ... I 215
28. De Patrocinio S. Joseph. — I Punct. I 232
29. » » II et III Punct. I 235
30. Via ad sanctitatem simplicissima. ... IV 25
31. De pietate nostra erga S. Joseph. ... I 219

Typis Societatis Sancti Augustini, Brugis.

246.
P445
PET
AUTHOR
Sacerdos
TITLE
Series Quinta
DATE DUE
BORRO
STORAGE - CB
45217